Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jan Jonston

Johannis Jonstoni Historia Civilis Et Ecclesiastica ab Orbe Condito Ad Annum 1633. nunc Aucta & continuata Ad Annum 1690.

Francofurti: Lipsiae: Cörnerus, 1690

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78650837X

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78650837X/phys_0001
DFG

Rb 382.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78650837X/phys_0002
DFG

62. d. V 11.

Rb. 382.

~~Rb. 3164, b.~~

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn78650837X/phys_0005
DFG



JOANNIS JONSTONI HISTORIA CIVILIS ET ECCLESIASTICA

Ab orbe condito ad annum 1633.
nunc
Aucta, emendata et continuata ad annum 1690.

JOHANNIS JONSTONI

HISTORIA CIVILIS ET ECCLESIASTICA

ab

ORBE CONDITO

Ad Annum 1633.

nunc

Aucta & continuata

Ad Annum 1690.

Addita est Applicatio geminæ Historiæ

Tùm civilis sub qvatuor Monarchiis ad Colossum Danieliticum,

Tum Ecclesiasticæ ad Propheticam Apocalypticam.

FRANCOFURTI,

Impensis LAURENTII SIGISMUNDI CÖRNERI, Bibl. Lipsiensis.

ANNO M DC XC.

V. 111

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78650837X/phys_0007
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78650837X/phys_0008
DFG

Illustri & Generosissimo Domino
Juventutis in Illustri
Gymnasio Lesznensi Principi,

DN. VLADISLAO,

Comiti de LESZNO Palatinidæ Belsensi:

Nec Non

Generoso & magnæ spei
Adolescenti

DN. ALEXANDRO SCHLICHTIGH,

Generosissimi & Magnifici
Domini

DNI. JOHANNIS SCHLICHTIGH,

De Bukovviec, supremi Terræ
Uschovensis Judicis, filio,

Salutem & Observantiam.

QVod *paucæ hæ pagellæ in publicæ famæ comitium prodeunt,* Illustris Juventutis Princeps, Generosissime Domine,

summus Orthodoxæ in patria nobilitatis studia promovendi, ardor facit. Historiæ, Universalis studium tam illi necessarium ut nemo in dubium vocaverit. Nihil scire qvid ante te sit actum, hoc est semper esse puerum, *inqvit* Cicero. *At Historia* liber viventium, & tuba qvâ mortui revocantur ad vitam, à Niceta *dicitur.* Hominis omnis religio sine macula vivere, *vox est* Lactantii: *nullus* Civis verè bonus, nisi & vir, *Lipsii. Ac eadem* sola omnis periculi exsors, optima dicendi & faciendi magistra, *apud* Lucanum *vocatur.* Vis consilii expers mole ruit suâ, *ait* Horatius. *At hæc ἀρχὴ Φρονήσεως καὶ σοφίας apud* Halicarnassæum, *παράδειγμα τῆς εὐβελίας apud* Plutarchum *nuncupatur. Unde certè factum, ut olim Alexandro* Homerus, *Scipioni* Polybius, *Alphonso* Doctores mortui, *Leoni* Tacitus, *Carolo V.* Cominæus, *in summis deliciis fuerint. Brevitati qvòd studuerim, non est qvòd multis exponam. Cum enim hoc studiorum genus relatione auctorum diffusum, circum-*

cumstantiarum multitudine intricatum, si exactè tradatur, à vacillante inflexu ætatis judicio, angustaqve propter intellectum memoria capi neqveat, non abs re illi sentire videntur, qvi universali Historia à speciali distincta, rudimentis primò brevissimis, in qvibus series Historiæ in Classes distribuatur, ad certas Epochas contemporanea referantur, facta & transitus regnorum præcipui delineentur, & τὸ πρᾶδοξον τῶν πράξεων, ut ait Polybius, *præceptoribus explicandum, observata capacitate ætatis, & commendato à Rhetoribus narrationis ordine, relinqvatur, agendum existimant. Sanè Adolescens brevitatem, mille memorabilium exemplorum conditam, faciliùs degustabit & concoqvet, & harum rerum idea animo suo impressa, tanqvam in Pharo qvadam constitutus, universum τῶν πεπραγμένων Oceanum, uno oculi ictu penetrabit, & retromissa memoria acta omnium ætatum speculatus, adolescentiæ suæ in inaccessum senium abeuntis divinitatem mirabitur. Cæterum hoc qvicqvid est opellæ, vobis deberi existimavi,*

tum qvia nobilitatis Orthodoxæ & Gymnasii Lesznensis, qvod unicum Illustrissimorum Comitum Leszeziniorum pietas nobis erexit, usibus eam dicavi: Tu autem Illustris Domine, Princeps Juventutis in eo: tum qvia Cliens Illustrissimæ familiæ vestræ per Magnificum Dominum Parentem Tuum, cujus merita Orbi Polonico indies innotescunt, Generose Alexander, factus sum. Me itaqve totum Vobis debeo. Accipite ergò hoc mei erga Vos officii testimonium: præviæ præceptorum dexteritate, strenuè in Historiarum campo pergite, & maturiori ætate expectate. Valete generosissimæ Animæ, Deo, Patriæ, Parentibus, omnibus.

Leydis 1. Martii. M D C XXXIII.

Illust. G. V. V.

Addictissimus

I. I. S. P.

DISPOSITIO

totius Opusculi.

Historia Universalis continet res vel Antemonarchicas, vel Monarchicas.

Illæ vel sunt Antediluvianæ, eaqve vel Ante Noachum, vel sub Noacho.

Vel postdiluvianæ eaq; vel ante Judices, vel Judicium, vel Regum.

Ante judices, vel antecessere ingressum Israëlitarum in Ægyptum. Et hic occurrunt.

Posteritas Noachi, Initia Imperii Assyriaci; Abrahami, Isaaci, Jacobi Historiæ.

Vel secuta sunt. Et hic occurrunt

Josephus, Cahatus, Amramus, & Moses.

Res judicum vel sunt priorum septem,

Josuæ, Othnielis, Ehudi, Deboræ, Gideonis, Abimelechi, Tholæ.

Vel posteriorum septem,

Jairi, Jephtæ, Abezan, Elonis, Abdonis, Eli, Samuelis.

Res Regum vel sunt ante secessionem, ubi occurrit

Saul, David, Salomon.

Vel post secessionem, & hæc vel ante deportationem decem tribuum; ubi occurrit

Rehabeamus, Albiamus, Assa, Josaphat, Joram, Joasus, Amasias, Usias, Azarias, Jothamus, Achasus, Ezechias.

Vel post deportationem, ubi occurrunt

Manasses, Ammon, Josias, Joachasus, Jojakim, Jechonias, Zedekias.

Res Monarchicæ sub qvatuor Monarchiis Babylonica, Persica, Macedonica, & Romana, continentur.

Babylonica vel fuit sub Nebucadnezare & ejus posteris, ubi occurrunt:

Nebucadnezar, Evilmerodach, Belzazar.

Vel sub aliis, ubi occurrit

Darius Medus.

Persica vel habuit Reges ex familiis Illustribus, vel obscuris. Illustribus, vel Cyri, ubi

Cyrus, Cambyses.

Vel Hysta spidis, ubi occurrunt:

Darius Hystaspides, Xerxes, Artaxerxes Longimanus, Xerxes II. Sogdianus

nus, Darius Nothus, Artaxerxes Mnemon, Darius Ochus, Arses.

Ex obscura familia fuit

Darius Codomannus.

Monarchia Macedonica consideratur vel in initiis, ubi occurrit

Alexander Macedo.

Vel in statu, & eo quidem vel vacillante

Sub Philippo Aridæo, Ducibus ipsis.

Vel firmato, qui vel ante finem regni Macedonici, ubi occurrunt

Ptolomæus Lagides, Philadelphus, Evergetes, Philopator Epiphanes, Philometor.

Vel ante finem regni Syriaci, ubi

Evergetes II. Lathyrus, Auletes.

Vel post finem, ubi

Dionysius, Cleopatra.

Monarchia Romana vel est Imperatorum ante divisionem generalem vel post.

Illi vel ex solis Romanis erant, & hi vel unius familiæ, ubi occurunt,

Octavianus Augustus, Tiberius, C. Caligula, Claudius, Nero.

Vel diversarum familiarum, ubi occurrunt,

Sulpitius Galba, M. Salvius Otto Aulo Vitellius Fl. Vespasianus, Titus, Domit.

Imperatores ex Romanis & exteris simul sumpti vel fuêre ante Dyarchiam puram, ubi occurrunt

Coccejus Nerva, Ulpius Trajanus, Ælius Adrianus, Antonius Pius, Antonius Philosophus, L. Commodus Antonius Helvius Pertinax, Didius Julianus, Septimius Severus, Antoninus Caracalla, Opilius Macrinus, Antoninus Heliogabalus, Alexander Severus.

Vel sub Dyarchia, ubi occurrunt

Julius Maximinus, Gordianus, Junior, Philippus Arabs, Decius, Gallus, Æmilianus, Valerianus, Gallienus.

Vel ante Dyarchiam cum Polyarchia mixtam, ubi occurrunt

Claudius, Aurelianus, Tacitus, Probus.

Vel sub Dyarchia cum Polyarchia mixta, ubi sunt

M. Aurelius Carus, Valerius Diocletianus, Constantius Chlorus.

Imperatores sub divisione generali vel fuêre sub prima, vel sub secunda. Illa

Illa vel fuit inchoata, vel interrupta, vel repetita.

Inchoata vel ab Imperatoribo vel à barbaris

Ab Imperatoribus vel eſt prima, ubi

Conſtantinus M.

Vel ſecunda, ubi

Conſtantinus II. Conſtans, Conſtantius, Julianus, Jovianus.

Vel tertia, ubi

Valentinianus, Valens, Gratianus, Valentinianus II. Theodoſius.

Vel qvarta, ubi occurrit

Arcadius, Theodoſius, Marcianus, Leo in Oriente, Honorius, Valentinianus III. in Occidente.

Diviſio à Barbaris facta habet

Zenonem, Anaſtaſium Dicorum, Juſtinum.

Sub interrupta diviſione continentur

Juſtinianus, Juſtinus Junior, Tiberius II. Mauritius, Phocas.

Repetita R. I. diviſio ſub Mahomete fuit, ubi Imperatores vel ſunt Heracleonidæ.

Heraclius, Conſtans, Conſtantinus, Juſtinianus.

Vel diversarum familiarum,
Philippicus Bardanes, Artemius, Theodosius III.
Vel Isauridæ, ubi
Leo Isaurus, Constantinus, Leo IV. Porphyrogenitus, Constantinus V.
Divisio secunda distingvitur in tempora, interregnum antecedentia, & consequentia.
Imperatores ante Interregnum vel fuere ex Francis & Franconibus:
Carolus M. Ludovicus Pius, Lotharius I. Ludovicus II. Carolus Calvus, Ludovicus Balbus, Carolus Crassus, Arnulphus, Ludovicus IV. Cunradus Dux Franconiæ.
Vel ex Saxonibus, ut
Henricus Auceps, Otto M. Otto II. Otto III. Henricus II.
Ex Franconibus & Saxonibus, ut
Cunradus Salicus, Henricus Niger, Henricus IV. Henricus V. Lotharius Saxo.
Vel ex Svevis & Braunsvicensibus,
Cunradus III. Fridericus Barbarossa,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78650837X/phys_0018
DFG

sa, Henricus VI. Otto Henrici VI. F.
Fridericus II. Cunradus IV.

Vel ex diversis familiis, ubi
Henricus Thuringiæ Landgravius, Wilhelmus Hollandiæ Comes, Richardus Comes Cornubiæ.

Imperatores post interregnum vel fuêre ex Austriacis & aliis mixtim, & huc pertinent:
Rudolphus Habspurgicus, Adolphus Nassovius, Albertus Austriacus, Henricus Lucelburgicus, Ludovicus Bavarus, Carolus IV. Wenceslaus F. Rupertus Palatinus, Jodocus Marchio Moraviæ, Sigismundus Caroli IV. F.

Vel ex solis Austriacis; & huc spectant
Albertus Austriacus junior.
Fridericus III.
Maximilianus I. F.
Carolus V.
Ferdinandus I.
Maximilianus II.
Rudolphus II.
Matthias.
Ferdinandus II.
Leopoldus III.

SCE-

SCELETI HISTORIÆ UNIVERSALIS

PARS I.

De rebus ante Monarchias propriè sic dictas gestis.

LIBER I.

De rebus Antediluvianis.

HISTORIA universalis explicat res vel ante Monarchias vel sub Monarchiis ad hæc usqve tempora gestas. Illæ verò in Antediluvianas & Postdiluvianas commodè dispescuntur.

Ut ergo nobis duæ hujus Sceleti historici exsurgunt partes: sic duo primæ partis libri, qvorum unus Antediluviana, alter Postdiluviana negotia exponet. Sed & in primo libro duæ rerum classes occurrunt. Nam qvæ ante Noachum acta sunt, necessario ab illis, qvæ sub

sub eo accidere, distingvi debebunt.
Sit itaqve

CLASSIS I.

De rebus ante Noachum gestis.

(Ab A. M. primo ad ann. 1056.)

IN principio creata sunt à Deo omnia, ultimo *Adamus* innocentia & justitiâ insignis, cui *Eva* tanqvam auxilium adjuncta. Sed hæc à serpente ad pomi vetiti esum in paradyso inducta, origo mox calamitatum facta est, sensitqve eas Adamus etiam in *Caini* homicidio, qvod exilium & continuus corporis tremor insecutus est, & *Abeli* morte. Ideò *Sethi* educatione sistere ruentem in vitia naturam coactus est, nec infelici successu. *Sethus* enim vir pius *Enoch* filio nato scholam instituit, mathematicas artes invenit & ad posteritatem propagavit. *Enochus* vita soli DEO probata in cœlum translatus est, *Lamechus* Cainita interim polygamiam induxit, cæteri Sethi posteritatem ita corrupere, ut con-

conjugia confunderent, Cyclopicam vitam agerent, nec ad frugem se reduci paterentur.

Ægypto *dicuntur tum præfuisse* Semidei *ut* Manetho *ait.* Berosus *in Chaldæa* semihomines & semipisces *Reges fuisse scribit.*

CLASSIS II.

De Noacho.

(Ad ann. 1660.)

NOachus præco justitiæ per centum viginti annos extitit; cum verò pœnitentiam agere nollent, arcam jussu Dei exstruxit. De illa hi sunt versiculi:

Ter denis alta cubitis, & longa tricenis
Et decies quinis lata, fit arca Noha.
Sex vicibus longum latum transcendit, & altum
Denis, humani corporis instar habens.

In hac Noa cum filiis & animalibus durante diluvio (duravit autem integrum annum solarem) habitavit.

Pluc-

Pluebat autem per dies *quadraginta*, & montes editissimos xv. *cubitis* aqvæ superabant.

LIBER II.

De reb. post Diluv. gestis.

HÆc sunt Antediluviana prolixiùs in *Genesi* exposita. *Res Postdiluvianæ* vel sunt illorum, qvi *ante ingressum in Palæstinam & Judicum regimen vixere*, vel *Judicum*, vel *Regum*. Tres itaqve Classes hîc exoriuntur.

CLASSIS I.

De rebus ante Judices gestis.

CAPUT I.

De rebus ante ingressum Israëlitarum in Ægyptum.

(Ad ann. 2260.)

TEmpus illud ante Judices, vel *antecessit Israëlitarum in Ægyptum ingressum*, vel *secutum est*. At illud 1. *Posteritas Noachi*. 2. *Initia imperii Assyriaci*, 3. *Abrahami*. 4. *Isaaci*. 5. *Jacobi historia* pertinent.

I. Qvod

1. Quod concernit *posteros Noachi*, hic ex arca egressus signum Iridis de orbe, diluvio non delendo à Deo, qvi etiam conjugio benedixit, politiamqve instituit, accepit; plantare vineam docuit. *Semo* jus primitivum populi Dei cum Imperio, *Japheto*, derivativum donavit, *Chamam* & *Kenaanum* præteriit. Ipsi Babylonicam turrim frustra struxere: Dispersi enim, cum jam octavam turrim superponerent, diversitate lingvarum injecta, variis nationibus ortum & nomina dedere. Ab *Elamo* sunt *Persæ*, Assure *Assyrii*, Aramo *Syri*, Ludo *Lydi*, Mitzraimo, *Ægyptii*, Ascenazo *Celtæ*, Kenaano *Palæstini*, Riphato *Russi*, Togarma *Sarmatæ*, Thirasо *Thraci*, Mesecho *Moschi*. Babylonios post *Nimrodus* ex Arabia invasit, nec sine causa. *Serug* enim Pelegi ex Rege nepos *idololatriæ* auctor dicitur.

II. Imperium Assyriorum à *Belo* cœpit, qvi cujas fuerit ignoratur. *Ninus* ejus filius cum Bactrianis bis bellum gessit, *Niniven* urbem cccvi. stadiorum

rum condidit. *Semiramidi* uxori ab avibus educatæ regnum reliqvit.

Sub eis

In Ægypto *Menes Tinites* mensas ac lectos adornare, pretiosisqve stragulis uti docuit. *Atothis* filius in urbe *Memphi* regiam condidit. In *Peloponneso* Sycionium regnum, qvod DCCCLII. annos duravit, erectum est.

III. ABRAHAMUS Semigentilis ex Ure Chaldæorum cum uxore *Sara* & *Lotho* jussu Dei exit, terra *Canaam* ipsi promittitur, circumcisionem accipit, *Isaacum* filium in senecta sibi natum immolare jubetur, qvatuor Reges vincit & Lothum liberat.

Ejus tempore

Sodoma cum aliis qvibusdam urbibus igne cælitus delapso deletur. In Assyria *Semiramis Babylonem rebellantem expugnat, expugnatã exornat, Bactros vincit, concubitum filii expetit, versipelle sepulchrum sibi exstruit.* Ninias *verò optimus bibo qvotannis novum militem provinciis imperat. In* Ægypto Pharaones *sunt*, & Hermes *multorum*

torum librorum auctor. In Asia regnum Cretense erigitur. In Europa Calydnus regiam potestatem exercet. In Peloponneso regni Argivorum fundamenta ponuntur.

IV. Isaacus Rebeccam consobrinam vivo patre ducit, Gerari de illa periclitatur, Esavi filii levitate (primogenituræ enim jus sumto pulmento abligurivit) turbatur.

Sub eo

Ismaël relictis duodecim principibus, qvi post in desertis Arabiæ habitarunt; moritur. In Ægypto in bucoliis pastores sibi reges creant, ab Amoside pactis permoti secedunt, & Jerosolyma extruunt. In Peloponneso Phoroneus primus homines in jus Civilitatis vocat.

V. Jacobus obtentâ à patre benedictione minis fratris territus in Mesopotamiam concedit, ibi ex Lea Rubenem, Simeonem, Levi, Judam; ex Rachele Josephum & Benjaminem; ex ancillis Gadum, Ascherem, Danem, & Naphtali suscipit, à Josepho, qvi à fratribus venditus, ex captivo Dominus Ægypti factus

ctus erat in Ægyptum vocatur, ibi filios Josephi adoptat, ante mortem *Schilonem* Judæ promittit.

Eo vivente

In Ægypto *fuêre septem anni famis, quibus Josephi apparuit prudentia: homicidium in* Junonis *cultu abrogatum est. In* Attica *fuit diluvium* Ogygis. *In* Peloponneso Sparta *à Sparto Amyclantis filio conditur.*

CAPUT. II.

De rebus ab ingressu in Ægyptum ad Judices gestis.

(Ad ann. 2492.)

HÆc ante ingressum gesta sunt: tempus ab ingressu historiam *1. Josephi, 2. Cahati, 3. Amrami, 4. Mosis,* continet.

I. Josephus patrem mortuum in terram promissam transfert, fratribus veniam admissæ culpæ petentibus, fraterno animo condonat, & suum cadaver in terram promissam etiam transferri jubet.

Tum temporis

Eregit Argivis Criasus *in honorem* Juno-

Junonis *columnam acuminatam, & sacerdotium fœminis demandat.*

II. Cahato vivente multiplicantur sunt Israëlitæ: Nam *Ephraimus* octo suorum generationes vidit, intra illud ætatis tempus, qvo adhuc liberis operam dare poterat. Sed gratia Regum Ægyptiorum cæpit labascere.

Tum verò

In Ægypto Orus *statuam lapide vocalem erexit. In* Æthiopia *regnum constitutum est, sede primo in* Axuma, *post in* Sceva *posita. In* Græcia Atlas *Astronomiam excolit,* Prometheus *discretionem temporum & ædificiorum docet. In* Thessalia *regnum ab* Hæmone *erigitur.*

III. Amramo peregrinanti nati sunt *Aaron* & *Moses.* Sed hic exponitur in fiscella scirpea: à *Pharaonis* filia pro filio suscipitur & educatur. Una tribus tum intra ducentos annos xv. *generationes* vidit.

Tum etiam

In Ægypto *masculi infantes Hebræi in nixu suffocari jubentur. Sed frustra. In*

Atti-

Attica *regnum init* Cecrops, Athenas *condit, illas in nobiles, agricolas & opifices distribuit.* Triopæ Archivi *Regis filius* Phorbas Rhodum *occupat, & serpentibus purgat.*

IV. Moses occiso Ægyptio & cæde prodita fugit; in terra Midian per annos 40. ducta *Zippora* philosophatur; multis plagis exhausta Ægypto, (infestat autem eam

Sangvis, rana, culex, musca, mala pestis & ulcus,
Grando, locusta, dies nubila, præda, neces.)

filios Israëlitarum spoliis Ægyptiorum onustos educit, pascha primum celebrat, pvadraginta annis in deserto cum populo moratur, inibi leges varias fert, tabernaculum & arcam fœderis extruit, Sacerdotium & Pontificatum Aaroni confirmat, Chiliarchas & Centuriones svadente Jethrone instituit, Amalekitas & aliqvot Reges vincit, Gileadem Rubenitis & Gaditis dat, à DEO in monte sepelitur.

Eo peregrinante
Mergitur in rubro mari, qui abeuntes persecutus est Rameses, *Ægyptiorum Rex.* Sethos *verò* Amenophi *successor,* Cyprum & Phæniciam *devincit. Ab eo* Ægyptus *demum dici cœpit, cum primò* Aëria *diceretur. In* Græcia *diluvium* Deucalionis *est circa Parnassum.* Argis *cessit regno, jus suum speciosè producenti* Danao *fratri Sethosis,* Gelanor. *Apud eosdem* Trochilus *currum invenit.* Athenis Cranaum *socerum* Amphiction *ejicit, regno occupato* Amphictionum *Senatum instituit.* Ab Erichtonio *decimo regni anno ejicitur. Hic primus quadrigas in Græcia junxit. In Ætolia discit cultum vineæ* Oeneus. *Regnum* Phrygiæ *pervenit* cum Chryse, *cui dotalitii loco* Palladium *erat, ad* Dardanum *Samothraciæ Regem.*

CLASSIS II.

De rebus sub Judicibus gestis.

CAPUT I.

De septem prioribus Judicibus.

(Ad ann. 2736.)

Sic

SIc fuit historia temporum Judices antecedentium. Historia Judicum in duo distingvitur capita. Vel enim est *Judicum priorum septem & eorundem contemporaneorum* vel *posteriorum totidem.* Septem priores Judices sunt *1. Josua. 2. Othniel. 3. Ehud. 4. Debora 5. Gideon. 6. Abimelech. 7. Thola.*

I. JOSUA Mosis succesſor in Palæstinam cum populo ingreditur, Hierichunte expugnatâ, Rahab, qvam Salmon abavus Davidis posteà duxit, parcit, Gibeonitis fidem, levi pœnâ impositâ servat, terram distribuit, Levitis XLVIII. civitates assignat, Jerosolyma capit. Israëlitæ verò maximam partem pacem cum Cananæis, Juda excepto, faciunt.

Hoc tempore

Occidere qvadraginta novem Ægypti filios sponsos, totidem filiæ Danai fratris ejus, *sponsæ*, Hypermenestra *suum servavit. In* Peloponneso *reddit* Danaus Argos *humidum & fœcundum. In* Phœnicia *condita est* Tyrus *ab* Age-

nore Cadmi *Patre*. *In* Svecia *fuit* Ericus XIV. *Rex, qvi primus exercitum in transmarinas oras eduxit.* Islandiam *Gigantes possedere, referente* Arugrimo. *Extremam* Africæ *partem Cananæi.*

II. Othniel anteqvam eligeretur Jūdex, seniorum consilio recta est Respublica, corrumpebantur Israëlitæ, sub servitutem à Chusane Syriæ Rege erant redacti. Electus vincit eum.

Hoc temporis spacio

In Ægypto *regnat* Rhabsaces, Argis Lynceus, Athenis Pandion, *cujus filia* Philomela *à* Thereo *rege* Thraciæ *& per* Prognen *genero violatur. In* Bœotia *occidit* Draconem *Regem* Cadmus, *frater verò ejus* Phœnix *instruit* Bythiniam *urbibus.* Erichtonii *frater* Dardani *filius,* Zacynthum *condit, nec potest persvaderi, bellum minus periculi qvàm emolumenti, habere.*

III. Ehud Eglonem Moabitarum principem clanculum interficit, elapsus auxilio Ephraimitarum pristinam libertatem reducit. Hi verò cum Danitis ido-

idololatriam Michæ prosequuntur. Benjaminitæ verò ferè exciduntur, *Samgarus* trecentos latrones prosternit. Ruth Obedum Davidis avum parit.

Eo judicante

Argis filiæ Prœti *vacas se esse credunt, à Melampode sanantur.* Perseus *ex* Danaë *natus* Acrisium *avum occidit. Ideo regno illo derelicto,* Mycenum *condit. In* Phrygia Troja *à* Troë *conditur, ab* Ilo Tantali *expulsore amplificatur.* Athenis *immolat filiam suam in bello contra* Eumolpum *Thracem* Erechtius *& victoria potitur.* Pelops *Tantali filius,* Niobes πολυτεκνίας *claræ frater* Hippodamiam Oenomao *astu victo, ducit,* ludos Olympicos (Isthmici *paulo ante instituti erant*) *instituit,* Phemonoa *Prophetissa prima Hexametros Delphis fundit: In* Italia *regnum* Latinorum *erigitur &* Janiculum *conditur.*

IV. Debora Israëlitis à Jabino pressis prophetissam agit, Baracum vindicem vocat. Hic Sisaram Jabini ducem se obsidentem, & de divisione præ-

dæ cogitantem, fundit: Jael verò in tentorium receptum, interficit.

Interim

Apud Assyrios *imperat diminuto regno* Panyas. Arcades à Pelope *afflicti in Italiam navigant*, & Latium *condunt*. Mycenæ Perseo, *Tharsi, Iconii, & scholæ in Helicone conditore, gaudent. Ejus filia prima secundas nuptias contrahit.* Athenis *valedicit* Pandion Megarensis *posteà Rex, regno* Eupalamo Metionidæ *relicto.* Trojæ Laomedon *arci thesauros Neptuni & Apollinis impendit.* Midas *floret.*

V. Gideon Midianitis Israëlitas vexantibus, vindex horum ab Angelo constituitur, aram Baalis evertit, CCC militibus instructus ita hostes perterret, ut CXXXV. millia mutuis vulneribus concidant, Regalem dignitatem oblatam respuit, monumentum infaustum ex præda erigit.

Ejus diebus

In Ægypto *incipit* XX. Dynastia, *in qua* XII. *Reges per annos* CXXV. *regnârunt.* Athenis *removet servitutem Cretensem à civium*

civium cervicibus Theseus, *civitatem in patricios, agricolas & opifices distribuit.* Thebis *occidit Patrem, ducit matrem per ignorantiam* Oedipus. Mycenis Hercules *Amphitryonis filius, duodecim periculis exponitur, semper salvus redit.*

VI. ABIMELECHUS, omnes suos fratres ex legitimo conjugio natos (erant autem LXX.) Jothamo excepto interfecit ipse spurius, Sichemitas evertit, ad oppidulum Thebe à muliere occiditur.

Ejus temporibus

Expeditio Argonautica duce Jasone *instituitur.* Hercules *in* Hispania, Italia & Gallia *fortitudinis suæ monumenta relinqvit. In* Lemno *uxores maritos svasu* Hypsipiles *interficiunt.* Amazones, *qvæ ex* Cappadocia *prodiisse dicuntur,* Priamo *bellum inferunt.*

VII. THOLA totos XXIII. qvibus præfuit, annos, pacem continuò servavit.

Sub ejus præfectura

Tollit in Colchide *vellus aureum seu pellem arietis auream* Jason, & Mede-

am, *qvæ ipsi post miseriarum origo, ducit.* Thyestes & Atreus Pelopidæ, *Thyesteam cœnam celebrant.* Thebes Eteocles, *qvod fratrem* Polynicen *secum ex pacto alternis regnantem ejecisset, bello à septem principibus sibi & fratri funesto petitur,* Laodamæ *regnum reliqvit. In* Italia *est* Latinus.

CAPUT II.

De reliqvis septem Judicibus.

(Ad ann. 2873.)

HActenus priores septem Judices fuêre: seqvuntur posteriores nimirum 1. *Jair.* 2. *Jephta.* 3. *Abezan.* 4. *Elon.* 5. *Abdon.* 6. *Eli.* 7. *Samuel.*

I. JAIR, per annos octodecim pacem continuavit: sed qvia Israëlitæ pietatem non continuavêre, Ammonitis sunt traditi vexandi.

Interim

Minos Dædali (*qvi in rudibus statuis membra primus distinxit, & inter pedes unum extra alterius lineam promovit, ita ut gradū meditari viderentur*) persecutor

in

in Sicilia fraude filiarum Cocali Regis *interficitur*. Herculis *ex* Omphala *filius* Laomedon *fit stirps* Heraclidarum, *qui* Sardibus *post* Atyadas *imperavêre*, Agelaos Mermnadarum, *qui post* Heraclidas. *Bellum* Trojanum *ob raptam à* Paride Helenam *suscipitur*.

II. Jephta nothus ex Latrone fit Dux, Deo volente, victoriam præclaram ab hostibus reportat: voto obstrictus unicam filiam Deo consecrat, Ephraïmitarum 42000. occidit.

Eo judicante

Trojanum *bellum excidio urbis terminatur, postquam duraſſet decennium. Perierunt in eo ex* Trojanis 676000. *Ex* Græcis 886000. Æneas *in* Italiam *venit, & per Aſcanium filium imperium omnium* durabiliſſimum fundat. Antenor Patavium *condit*. *In* Aſia *exſtructa in* Cypro Salamis *à* Teucro. *In* Græcia *occiſo* Agamemnone, *occiditur cum adultero ab* Oreſte *filio mater*. Athenis *Demophoon* Palladium Phræatrium, Ephetasq; *inſtituit*.

III. Abesan, VII annos præfuit.

IV. Elon, x. judicavit.

V. Abdon, octo: nulla rè noti, nisi primus & ultimus numerosa prole.

Sub iis

Mycenis *adjicit suo regno* Oreſtes Laconicum. Hyllus *Herculis filius reditum in Peloponnesum tentans, duello victus, ex pacto recedit. In* Italia *conditur ab* Ascanio Alba. *Eodem se ex Lydia* Tyrrhenus *Lydi frater, ex Peloponneso* Hillesius Falliscorum *pater conferunt.*

VI. Eli Levita Samuelem benè educat, Simsone Philistinos miserè affligente gaudet: Arcam fœderis in bello contra eosdem cum petulantibus filiis amittit. Prophetiæ sub eo rarescunt.

Interim

In Ægypto *regnant* Tanitæ. *In* Græcia Sicionium *regnum ad* Sacerdotes Karnæos *devenit*, Heraclidæ *à regulo Eliaco prudenter in Peloponnesum reducuntur*; Eurysteuidæ & Proclidæ Spartæ Temenus *auctor regum Macedoniæ à Carano* Argis, Cresphontes Messenæ, Alethes Corinthi, *regnare incipiunt*; Athenis

impe-

imperavit Melanthius Messenius. Xanthi *Bœotii in duello victor, & Jovum hospes.*

VII. SAMUEL, ad munus Propheticum anno duodecimo vocatur, Judex Politiam & Ecclesiam restituit; dissipationem Philistinorum à Deo impetrat; Sacerdotum ordinem ex idololatria Ephraimitica confusum restituit; Regem *Saulem* petentibus Israëlitis creat.

Interea

Sycionium *regnum, cum cæteris Peloponnesiacis coalescit.* Athenis Codrus *in bello contra* Dorienses *pro patriæ victoria se devovet,* Zoroaster *Magus floret.*

CLASSIS III.

De Regibus Israëliticis.

CAPUT I.

De Regibus ante secessionem decem tribuum.

(*Ad ann. 2969.*)

HÆc de Judicibus. Reges vel sunt *ante secessionem decem tribuum à Juda*, vel *post secessionem.*

Ante illam tres fuêre 1. *Saul.* 2. *David.* 3. *Salomon.*

I. SAUL primus Rex principio regni vincendo & ignoscendo benè se gerit, sed post absqve Samuele sacrificat, Amalecitis contra DEI mandatum parcit, Davidem in regem electum pertinaciter persequitur, cum *Jonathane* filio occiditur, *Ischbosethus* clam trucidatur.

Eo regnante

Gileaditæ *exactis* Hagarenis *illam Arabiæ partem occupant.* Agis Spartanus *ex Eleis victis* Helotas *facit,* Myniarum *uxores maritos ex carcere* educunt. Athenis *primus perpetuus Archon fit Medon,* Nileus *frater ejus Ionicæ migrationis fit auctor.*

II. DAVID, à Juda primò, mox svasu *Abneri* à toto Israële recipitur, aulam cum arca Hierosolymam transfert. Philistinos, Moabitas & Ammonitas atterit: *Syriam,* Damascum & Idumæam tributarias sibi facit, ab Absolone filio pulsus, occiso restituitur, *bis mille septingentas milliones* ad structuram templi reponit.

Eo

Eo imperante

In Ægypto *cœperunt regnare* Bubastitæ. *In* Dania Danus *filius Humbli, Dominus Juttorum factus cum iisdem Fioniam, Scaniam, ac omnes insulas sibi subjugat, & postmodum communi decreto regnum suum* Daniam, *incolas* Danos *appellat.*

III. SALOMON turbones, qvi patrem exagitaverunt, malè habet, sapientiam summam à DEO impetrat, eandem in judicio ostendit, templum stupendi operis cum arte exstruit, in *Orientalem Indiam* classem mittit, proventum ultra 7992000. Ungaricorum exceptis vectigalibus & Arabum donariis habet, à regina Sabæ visitatur, ad idololatriam deflectit, sed scriptis qvibusdam pœnitentiam agit.

Ejus ævo

Tyrii *Naucleri coloniam in Insulam Hispaniam* Gades *dictam deduxerunt.* Spartæ Labotas Agida cum Argivis *bellum gessit.* *Ex* Proclidis *Euronus* domi à lanio interfectus est.

CAPUT II.

De Regibus Judæ post secessionem.

MEMBRUM I.

De Regibus Judæ ante finem regni Israëlitici.

(Ad ann. 3251.)

DIxi de Regibus Israëliticis ante secessionem decem tribuum. Qvi post fuêre, Judæ tantùm & Benjaminis tribui imperabant. Erant autem vel *ante deportationem decem tribuum, & finem regni Israëlitici*, vel *post*. Ante deportationem numerantur undecim 1. *Rehabeamus*. 2. *Abiamus*. 3. *Asa*. 4. *Josaphat*. 5. *Joram*. 6. *Joasus* 7. *Amasias*. 8. *Usias Azarias*. 9. *Jothamus*. 10. *Achasus*. 11. *Ezechias*.

1. REHABEAMUS, dum arctiùs se populum habiturum, qvàm pater, profitetur, decem tribus à se abalienat. *Judam & Benjamin vix retinet*, religione mutatâ à *Sesaco* Ægyptio obsidetur, &

illi

illi se sub fide dedit. Tribus decem *Jeroboamum* sibi præficiunt, qvi sedem Thersæ, statuit *duos aureos vitulos* Bethele & Dane nempe constituit.

II. Ambiamus fratribus natu majoribus portiones sufficientes assignat: ab Jeroboamo intercluſus ad preces confugit, eodem relicto Bethele potitur.

III. Assa, publicum Dei cultum edictis sancit, victoriam contra *Zaram Æthiopum* Regem in exercitu decies centena millia militum habentem, precibus â Deo impetrat Ramam à *Baësa* post Nadabum in Israële Regem extructam, destruit, à pietate ultimis diebus deflectit.

Interim

In Jsraële Ella *filius Baësæ voluptarius* à Simrio *occiditur: hic ab* Amrio *obsessus se cremat.* Amrius *successor Samariam condit.* Jericho reædificatur. Corinthi *occupat Dynastiam* Bacchis *Heraclida nominis* Bacchiadarum *auctor.*

IV. Josaphatus cultum Dei primo restituit, pòst societate cum *Achabo*, & *Achasia* filio ejus Regibus Israëlita-

tarum inita, in bello contra Syros sauciatur, in mari classem amittit, extra consortium felix. *Joramí* tamen *Ahasiæ* filii, statuæ Baalis, qvam Jesabel avia posuerat, eversoris, melior erat amicitia.

Sub eo

Fugit Dido Pygmalionis *soror ad* Hiarbam, *à qvo locum, qvantus bovis corio tegi posset, punicâ fide emit. In* Ægypto *recuperant dignitatem ductu* Perubastæ Tanitæ. *In* Syria *fuit &* Naaman. Elias *&* Elisæus *florent.*

V. JORAMUS regnum ab internecione fratrum inchoat suasu uxoris Attaliæ; castra, regia, uxores, & magna stirpis pars ab Arabibus ipsi eripiuntur. Post ejus mortem Ahasiæ filius *Joramus* Israëlitarum Rex cum qvadraginta ducibus agnatis à *Jehu* ab Elisæo inuncto occiditur. *Jesabel* etiam *Nabotho* morte parentat. Baalitarum fanum in publicam latrinam mutatur.

Tum

In Assyria *tractat lanam ac colum in*

Gyne-

Gynecæo Sardanapalus, Anchialem & Tarsum *in Cilicia uno die condit.*

VI. Joasus vivo *Jojada* omnia rectè curat, mortuo deflectit ab *Hasaele* Syro vexatur, templum donariis exhaurit ab eodem ita Joasus Israeliticus agitatur, ut vix decem millia in bellum educere possit.

Sub eodem

In Assyria *in* Sardanapalum *detecta ejus vitâ consurgitur, primò victor, pòst obsessus cremat se. Diviso regno* Arbaces Mediam, Belochus Assyriam *occupat*, Sparta *migrat ob invidiam* Lycurgus Charilai tutor.

VII. Amasias Amalecitas & Idumæos domestico tantùm milite stipatus, vincit. Dum Deos ipsorum colit à *Joaso* Israëlitico captus, Jerosolymam tradit, exosus à suis occiditur.

Eo imperante

In Syria Benhadadus *ter à* Joaso vincitur *à* Jeroboamo *Damascus ipsius regia capitur. In* Ægypto XXIII. *Dynastia finita incipit regnare* Bochoris Saites. *In* Ma-

Macedonia Caranus *à Temeno ortus desertis ob acciſam ſuorum poteſtatem Argis regni jacet fundamenta.* Spartæ *leges à* Lycurgo *egregiæ feruntur.*

VIII. Usias Azarias, numero Prophetarum claret, infulis ornatus, & templum ingreſſus, dum ſacerdotis munia vult obire, leprâ percutitur.

Interea

In Iſraële Sallumus *Zachariæ occiſor à* Menahemo *interficitur. Hic contra Tappenſes ita furit, ut prægnantes ipſorum diſſecet.* A Phule Aſſyrio *vexatur. In* Ægypto Bochoris *vivus à* Sabacone *crematur. In* Media *eſt* Solarmus. *In* Lydia Ardiſus *Heraclidarum* XIX. In Græcia Olympici ludi *revocantur*, & Epocha Olympiadum *conſtituitur.* Heſiodus *floret.*

IV. Jothamus ſplendorem templi magno ſumptu auget, ab Ammonitis mille talenta argenti, deciesqve mille coros tritici & hordei tributi loco accipit.

Ejus

Ejus temporibus

Occidit in Israële Pecahus Pecajam *Menahemi successorem. In* Ægypto *est* Sevechus *& post eum* Tarachus. Spartæ *Ephori regum inspectores constituuntur.* Athenis *ex perpetuis Archontibus fiunt decennales.* Roma *à* Romulo & Remo *conditur, in tribus plebeji & patricii dividuntur.* Babylonica *Dynastia à* Nabonossare *fundatur.*

X. Achasus Jerosolymis à Pecaho & Rezine Syro obsidetur, centum viginti millia militum perdit, altare Damascenum in templum inducere conatur: Filii per ignem à Judæis transmittuntur.

Interim

In Israële Hosea Pecahum *occidit,* Tiglathphulasser Assyrius *Damascum capit, tribum Nephtali in Assyriam abducit.* Salmanasser *successor ab* Hosea *pensionem annuam exprimit. In* Ægypto *redit imperium ad* Saitas. *In* Peloponneso *inter Lacedæmonios & Messenios bellum viginti annorum oritur. In* Siciliam *ex Græciæ coloniæ deducuntur.*

XI

XI. Ezechias serpentem æneum confringit, ex Sennacheribi ad Hierosolymam sedentis exercitu, Angeli auxilio centum qvadraginta millia prosternit, retrocessione Solis de sanitate confirmatur.

Eo regnante

Salmanasser *Samariam expugnat, & populum in Assyriam deportat, finem regno Israëlitico imponit. In* Ægypto *afficitur* Sethos *clade à Sennacheribo Salmanassaris filio.* Mardokempadus *Babylonius* Assaraddonem *Sennacheribi successorem regno spoliat. Apud* Lydos *devenit regnum ad* Gygem Hermnadam *per Candaulis uxorem, qvæ cum tunica pudicitiam deposuit. Apud* Medos *labente potentia, fit ex privato judice Rex,* Dejoces Ecbatanæ *conditor, qui turpe esse subditis in præsentia Regis sui screare aut ridere dixit. Romæ* Numa Pompilius *urbem Martiam sacris ceremoniisq; adstringit.*

MEM-

MEMBRUM II.

De Regibus Judæorum post deportationem.

(*Ad ann. 3360.*)

REges Judæorum post deportationem sunt septem. 1. *Manasses.* *Ammon.* 3. *Josias.* 4. *Joachasus.* 5. *Jojakim.* 6. *Jechonias.* 7. *Zedekias.*

I. MANASSES toti cœlorum exercitui in templo Hierosolymitano altaria erexit, filium suum per ignem traducit, ab Assyriis captus Babylone, sub *Assaradino* & *Sarducino* incarceratur, inter catenas pœnitentiam agit, & reducitur.

Ejus ævo

In Ægypto XII. *Reges duodecim æqualibus partibus præficiuntur, sed redeunt tandem omnes ad Psammetichum* Saitam, *qui galea sacrificavit.* Athenis *propter mollitiem Archontum mutatur Aristocratia in Democratiam.* *Messenii in secundum bellum cum Lacedæmoniis incidunt, victi Messanam in Sicilia occupant.* *Dux ipso-*

ipsorum in illo bello erat Aristomenes, Romæ *post Numam* Hostilius *regnat & populum transfert.* Corinthi *Tyrannidem occupat* Cypselus, *& multos pellit, inter quos* Demaratus Lucomonis *Tarquinii Parens.*

II. Ammon ob crudelitatem trucidatur.

III. Josias invento Pentateuchi libro operâ Jeremiæ cultum DEI quantum potest restituit, aramque Bethele olim exstructam diruit.

Sub iis

Cyaxares Medus *Assyrios vincit, Scythas in aulam recipit.* Neco Ægyptius *Josiam transitum sibi prohibentem contra* Nobopalassarem *Babylonium*, interficit. Romam Ancus *munit.* Corinthi Periander *Arioni musico favet, &* Thrasibuli *consilium exquirit.* Athenis Draco minimis delictis capitale supplicium decernit.

IV. Joahasus captivus à Necaone in Ægyptum mittitur.

V. Jojakimus denegat promissa Nebu-

Nebucadnezari tributa, captus supplicio afficitur.

Interim

Necaonem *Ægyptium* Nebucadnezar ad *Euphratem fundit, Danielem & ter mille viros principes Babylonem transfert.* Cyaxares & Halyattes *Scythas totali excidio delent.* Romæ Tarqvinius Corinthius *regnat.*

VI. JECHONIAS Babylonem, postqvam trimestre præfuisset, deportatur.

VII. ZEDEKIAS cum *Aprio* Ægyptio contra Nebucadnezarem conspirat, captus oculis privatur. Hierosolyma succenduntur, & finis Regno Judaico imponitur.

Interea

Athenis Solon *leges egregias fert, opera* Anacharsidis *Scythæ usus.* Babylone *statuam. In* Italia *conditur* Mediolanum, *somniis Nebucadnezar videt*, à Belloveso *Ambigati filio.*

SCE-

SCELETI HISTORIÆ UNIVERSALIS

PARS II.

De rebus Monarchicis.

HÆc in rebus Antemonarchicis occurrebant. Monarchicæ sub qvatuor Monarchiis, *Babylonica* nempe, *Persica*, *Macedonica* & *Romana* gestæ sunt. Monarchia Babylonica vel *fuit sub Nebucadnezare & ejus posteris*; vel *sub aliis*. Duæ itaque hîc classes exsurgunt.

CLASSIS I.

De Nebucadnezare & ejus posteris.

(*Ad ann. 3391.*)

SUb hac classe occurrit Historia *Nebucadnezaris*, *Evilmerodachi*, & *Belzazaris*.

I. Ne-

I. NEBUCADNEZAR exciso Regno Judaico ad Herculis columnas pervenit, Babylonem exornat, mania ob superbiam corripitur.

Tum temporis

In Ægypto *strangulat* Amasis *Apriem superbum & Cyprum occupat. In* Media *somniat* Caxares *de prolis filiæ suæ potentia.* Corinthi desinit *Cypseldarum tyrannis.* Athenis *invadit astutè tyrannidem* Pisistratus *& moderatè eam gerit.* Romæ *adipiscitur dolo regnum* Servius. *In Sicilia furit Phalaris*, Ecclesiæ reliquiæ ex Judæa transferuntur.

II. EVILMERODACH ob facilitatem contemnitur, ab affine occiditur.

III. BELZAZAR ejusdem ex sorore Nitocride nepos lascivit, ex prædictione manus in pariete scribentis opprimitur.

Interim

Cyrus *Astyagem avum regno ejicit* Pythagoras Samius *apud Crotoniatas pauciores sexcentis auditores nunquam habet.*

Ecclesia profanatione vasorum templi ignominia à *Belzazare* afficitur.

CLASSIS II.

De rebus ab aliis gestis.

(*Ad ann. 3411.*)

POst Belzazarem unicus fuit in Babylonica Monarchia *Darius Medus*. Hic verò singulis provinciis Satrapas & his tres Eparchos præficit, à Cyro vincitur, & Germaniæ præficitur.

Tum etiam

Vincitur à Cyro in Lydia Crœsus. Phocenses *in Gallia* Masiliam, *in Italia* Rhegium *condunt*. Ecclesia, dum Danieli favetur, sat benè habet.

LIBER II.

De Monarchia Persica.

PRimæ Monarchiæ finis principium erat secundæ. Hæc verò Persica à conditoris dicitur natione. Cum verò reges ejus fuerint vel *ex familiis illustribus*, vel *ex obscurioribus*, ideò etiam in duas Classes dividenda erit.

CLAS-

CLASSIS I.

De Regibus ex familiis illustribus.

CAPUT I.

De Regibus ex familiis Cyri.

(*Ad ann. 3429.*)

FAmiliæ illustres fuêre vel *Cyri* vel *Darii Histaspidis*. Ex illa fuit ipse *Cyrus* cum *Cambyse*.

I. CYRUS devicto Dario Lydos rebellantes mollibus artibus assvefacit, qvicqvid terrarum inter Indiam & Nilum, inter Oceanum & mare Caspium fuit, subjicit, in expeditione contra Tomirin occiditur.

Eo regnante

In Ægypto Amasis *regionem ita exornat, ut viginti qvinqve millibus urbium superbierit.* Romæ *occiso Servio rapit regnum* Tarqvinius Superbus. Qvantum ad Ecclesiam, solvitur captivitas, sumptus ad ædificationem templi à Cyro promittuntur, sed mox ædificatio per Samaritanos inhibetur.

II. Cambyses Psammenitum Ægypti regem deditione capit, exercitum in Æthiopas & Ammonios eductum maxima parte amittit, crudelitatem in Ægyptios, sororem suam, fratrem & Prexaspis filium exercet.

Eo vivente

Conciliat sibi Athenis *affectu impuro mortem, fratri exilium* Hipparchas, Polycrates *Samiorum tyrannus in crucem agitur.* Romæ *exercet omne crudelitatis genus* Tarqvinius.

Ecclesia antiqvatione decreti à Cyro de ædificatione facti, premitur.

CAPUT II.

De Regibus ex familia Hystaspidis.

(Ad ann. 3614.)

Reges ex familia Cyri fuêre: sequuntur illi, qvi ex familia Hystaspidis. Sunt autem nominatim, *1. Darius. 2. Xerxes. 3. Artaxerxes Longimanus. 4. Xerxes.* II. *5. Sogdianus. 6. Darius Nothus. 7. Artaxerxes Mne-*

Mnemon. 8. *Artaxerxes Ochus* & 9. *Arses.*

I. Darius, occisis, qvi regnum post Cambysen invaserant, Magis, equi hinnitu sceptrum adipiscitur, Babylonem rebellantem per *Zopyrum* expugnat, à Scythis ludibrio cum suo exercitu habetur. *Paonas* per *Megabysum* in Asiam traducit. *Iones* rebelles persequitur, ab Athenien sibus in *Campo Marathonio* ingenti prælio vincitur.

Tum temporis

Romæ *Regibus ob adulterium & crudelitatem imperium abrogatur, Consules substituuntur*, Coriolanus *patriam premit, plebs duce* Sicinio *in sacrum montem secedit, à* Menenio Agrippa *reducitur.*

II. Xerxes Ægyptios rebellantes in ordinem redigit, decies septies centena millia peditum, equitum octoginta millia, triremes mille ducentas septem in Græciam ducit: primò ad *Termopylas*, mox ad *Artemisium*, tandem ad *Salamina* ita cæditur, ut Ciliciam fuge-

re cogatur, qvarta pugna ad *Plataeas* Mardonium cum exercitu amittit, sed *Athenas* exurit, quas tamen *Themistocles* restaurat.

Interim

Spartæ *viginti millia terræ motu pereunt: cum Messeniis bellum geritur*. Argivi *Mycenas excidunt*. *In* Sicilia Gelo *Amilcarem Carthaginensem insigni strata gemate vincit*. Hiero *ejus successor Catanam Colonorum decem millia mittit*. Thrasybulus frater ejus pellitur, & status popularis inducitur. Romæ *Hernici in amicitiam recipiuntur*, *Lex agraria urgetur*, *Fabii omnes unô excepto à Vejentibus cæduntur*.

Ecclesia propter *Hamanis* insidias est in periculo, sed *Hesteræ* precibus liberatur.

III. Artaxerxes Longimanus, Artabano patruo occiso Ægyptum sub pristinum jugum redigit. Athenienses maris imperio permisso Græcas per Asiam colonias liberas esse jubet, clementiæ insignis insigne est exemplum.

Eo

Eo imperante

Athenienses *Corinthios & Epidaurios vincunt, in Chersonesum & in Naxiorum Insulam coloniam mittunt.* Meton *apud eos floret.* Spartæ *bellum contra Athenienses Peloponnesiacum decernitur, & meliori ferè Athenienſium fortuna geritur.* Syracusis *ob inæqualem libertatem seditio movetur: peregrini inde pelluntur.* Romæ *leges feruntur. Tribuni militares consulari potestate constituuntur.* Charondas *leges apud* Thurios *fert.* Franci *Duce* Marcomiro *Belgii quædam loca occupant.*

Sub eodem, calumniis aures patefaciente, opus templi planè disturbatur.

IV. Xerxes II. Voluptatibus extinguitur.

V. Sogdianus ab Ocho in cineribus suffocatur.

VI. Darius Nothus Lacedæmoniis contra Athenienses primò per Thissaphernem, post per Cyrum, auxilium mittit.

Ejus ætate

Athenienses *cum Spartanis infidam*

pacem duce Nicia *faciunt*, *in Sicilia ingentem cladem accipiunt.* Thissaphernem à Pharnabazo *per Alcibiadem dive llunt.* Spartani *per Gylippum Athenienses in Sicilia vincunt.* Syracusis *occupat tyrannidem* Dionysius *suspicax.*

Ecclesia respirare sub *Dario* cœpit. Judæi enim *Haggæi* & *Zachariæ* prophetiis stimulati, tam processerunt in templo restaurando strenuè, ut intra qvadriennium ultimam manũ imponerent.

VII. Artaxerxes Mnemon, Cyrum fratrem, cui *Xenophon* militavit, vincit, pecunia in Græciam submissa, *Agesilaum* à se persequendo revocat, cum Græcis pacem facit, Regem Cypri rebellem trucidat, crudelitatem exercet, filias duas in uxores ducit.

Ejus ævo

In Attica *Athenarum muri à Spartanis dejiciuntur* xxx. *Tyranni ibid. imperant, donec* Thrasibulus *patriam liberet.* Spartani à *Thebanis Duce* Epaminonda *vincuntur.* *In* Sicilia *post bella vario Marte cum Carthaginensibus gesta, moritur* Dionysi-

nysius. Thessali *dum à filiis Jasonis vexantur*, Philippum Macedonem *advocant*, Romani *duce* Camillo *Gallos profligant*, *Consulem plebi*, *prætorem Nobilitati concedunt.*

Hierosolymis Nehemias urbi condendæ ita incubuit, ut muri & vici ejus intra annos XI. perficerentur. Ibidem post *Jojakimum* administravit Pontificatum *Eliasibus.*

VIII. ARTAXERXES OCHUS à Tacho Ægyptiorum Rege primo profligatur, sed post collectis peditum trecentis, eqvitum triginta millibus, Ægyptum recuperat, Apim occidit. Sidon à XLM. civibus ex desperatione exuritur.

Eo imperante

Philippo Macedo *Illyrios*, *Phocenses*, *Thessalos*, *Paonas*, atterit. *In* Sicilia Dionysius *minor primo à Dione*, *post restitutus à* Timoleonte *tyrannide exuitur.* Romæ Curtius Torqvatus & Corvinus *florent.* Capua *Romanis deditur.* In Caria *exstruitur Mausoleum.*

Ecclesiam qvod concernit, *Johannes* & *Jesus* de Pontificatu contendunt, multi ex Judæis Ægyptiis ad Caspium mare deportantur.

IX. Arses fit Rex à Bagoa, sed cum vindictæ de parricida sumendæ suspicionem incurrit cum tota stirpe tollitur.

Ejus triennio

Philippus Macedo, *Athenienses, & Thebanis ad Chæroneam fusis, Græcæ libertati finem imponit.* Latini *Romanis imperant, ut alter Consul ex Latio creetur, dimidiaqve pars inde evocetur.* Archidamus *Spartanorum Rex in prælio cum Lucanis perit.*

CLASSIS II.

De Dario familiæ obscurioris Rege.

(Ad ann. 3619.)

FAmiliæ obscurioris Rex *Darius Godomannus* erat. Hic Bagoam sustulit. Ab *Alexandro Macedone* tribus præliis vincitur. Primo ultra centum millia amisit; altero peditum LX I. millia, eqvi-

eqvitum x m. occisa, xl. m. capta: tertio excidit totius Asiæ imperio, & à Bessо occiditur.

Eo ita bellante

Lacedæmonii *Creta vastatâ bellum Alexandro movent, sed ab* Antipatro *diruuntur*, Athenienses *amicè habentur*. Romani *Latinos vincunt &* Manlius *severè filium punit.* Alexander Epiri Rex *Tarentinis contra Brutios opitulatur.*

Ecclesiam qvod concernit, immunitatem tributorum in annis Sabbathicis accipiunt Judæi. Nehemias librum suum scribit.

LIBER III.

De Monarchia Macedonica.

Occiso Dario, Ægypto, Babylone, Susis, Ecbatanis & Persepoli occupatis, desiit Monarchia Persica, inq; ejus locum Macedonica successit. Historia verò ipsius in duas classes dispescitur, qvarum prima *regni initia*, secunda *statum ipsius post Alexandrum* consideratur.

CLASSIS I.

De initiis Monarchiæ Macedonicæ.

(*Ad ann. 3627.*)

MOnarchia Macedonica debet ortum suum *Alexandro.*

Alexander verò victoriis, de qvibus superius, & ingentibus thesauris Susis & Persepoli potitus, Persicos mores induit, in *Philotam Parmenionem & Clitum* crudeliter grassatur. Hammonis Jovis filium se credi vult; in India *Porum* vincit, Oceanum aliqvoties conscendit, classem versus sinum Arabicum Duce Nearchio mittit, Roxanem & Darii filias ducit, Hæphestionem amittit, *Cossæos* Mediæ populum Persis nunqvam subditum internecione delet, Babylonem reversus ebrietate extingvitur.

Hoc temporis tractu

Romæ *Volsci, Lucani & Appuli in Romanorum fidem veniunt.* Palæoponitani, *qvod colonias damno affecissent, expugnãtur.*

CLAS-

CLASSIS II.

De Statu Monarchiæ Macedonicæ, post Alexandrum.

CAPUT I.

De Statu Monarchiæ Macedonicæ vacillante.

(*Ad ann. 3653.*)

STatus Monarchiæ Macedonicæ post Alexandrum vel vacillans erat, vel firmatus. Ille tum sub *Philippo Aridæo* Alexandri fratre, tum sub *Ducibus post istius mortem.*

I. PHILIPPUS ARIDÆUS post multas contentiones à *Meleagro* productus Rex renunciatur, *Perdiccas* tanqvam Copiarum præfectus ipsi adjungitur. Sed hîc paulò pòst, dum regnum sibi vendicare, *Eumenis* auxilio suffultus, cupit, occiditur, in ejusqve locum primò *Pithon* mox *Antipater*, tandem *Polysperchon* succedunt. Hoc verò tutorem agente, *Cassander* se patri exasse non succedere indignatus, turbas ciet, *Euridi-*

ridice Olympiadem persequitur, & exercitu à se & marito abalienato, una cum isto occiditur.

Interim

Athenienses *Principatum Græciæ aucupantur, victi libertate quidē donantur, sed in Munychiam præsidium recipere coguntur.* Romani *contra Samnites victoriosi, pacem ignominiosam in furcis Caudinis factam, voluntaria Consulum deditione redimunt. In* Sicilia *adspirat* Agathocles *ad principatum.* Aristoteles *moritur.*

II. Sub *Ducum* regimine maximè fluctuat Monarchia Macedonica. Nam Olympias, ob crudelitatem in Cassandri amicos exercitam, occiditur. Eumenes ab Argyraspidis proditus ab *Antigono* militum sub Antipatri tutela præfecto necatur: ab eodem *Pithon* opprimitur, & *Seleuco, Lysimacho* ac *Ptolomæo*, negatâ restitutione thesaurorum Eumenis, belli causa datur. Mox pace simulatâ *Cassander Europæ, Lysimachus Thraciæ, Ptolomæus Ægypti, Africæ & Arabiæ, Antigonus totius Asiæ summus Dux* procla-

clamatur, progenies Alexandri à Cassandro, qvi miserè paulò pòst interiit, occiditur, Duces nomen Regum assumunt, filii Cassandri pereunt, & tota Monarchia inter Reges Ægypti, Syriæ & Macedoniæ dividitur.

Eo tempore

Thebæ *ab Alexandro eversæ à Cassandro restituuntur.* Romani, *ad qvos tum primi tonsores ex Sicilia venerunt, cum Samnitibus, Hetruscis & Umbris bellum gerunt.* Agathocles Siculus *contra Carthaginenses vario Marte bella gerit, in Siculos crudelitatem exercet. In* Scotia *Regnum* à Fergusio *fundatur, & fratri* Ferithari *relinqvitur.* Jerosolyma à Ptolomæo astu capiuntur; plurimi Ægyptum transportantur, *Simon* filius *Oniæ* fit Pontifex.

CAPUT II.

De Statu Monarchiæ Macedonicæ firmato.

MEM-

MEMBRUM I.

De Statu ante finem regni Macedonici.

(*Ad ann. 3804.*)

STatu Monarchiæ Macedonicæ firmatus duo habet membra. *Vel* enim *regni Macedonici terminum, qui in captivitatem Perſei incidit, antecedit; vel eundem ſequitur.* Majeſtatem cum in Regibus Ægyptiacis obtinuerit, rectè alia regna ad eos alligabuntur. Fuêre autem ante finem regni Macedonici ſex Ægyptiorum Reges. *1. Ptolomæus Lagides. 2. Philadelphus. 3. Evergetes. 4. Philopator. 5. Epiphanes. 6. Philometor.*

I. PTOLOMÆUS LAGIDES, *Pyrrho* Epirotarum Regi, ut fœderi, cum Demetrio Antigoni filio initio, renunciaret, & ſe ſibi, Lyſimacho & Seleuco contra eum conjungeret, perſvadet: filio officium privatus inter ſatellites facit, juſtitiæ nomine floret.

Eo imperante

Amittit Macedonia *Demetrium Poliorcetem*

cetem in captivitate, in qvàm à Seleuco *conjectus erat. Ab eodem idem jus Judæis cum Græcis conceditur,* Romani *Duce M.* Curio Dentato *Samnium diruunt : Horologium primum, non aliud tamen qvàm solare, Romæ statuunt.*

Qvantum ad Ecclesiam, exstruitur templum in monte *Garizim* Ægyptio qvasi æmulum.

II. PTOLOMÆUS PHILADELPHUS bibliothecam, in qua LXXXm. voluminum numerabantur erigit, contra Antigonum Macedoniæ Regem bellum gerit, & cum *Antiocho Theo* per filiam *Berenicen* componit, in Ægypto 33339. urbes habet.

Eo vivente

Occiditur à Seleuco in Macedonia Lysimachus, *&* Ptolomæus Cæraunus *à Celtis, qvi se dum in Macedoniam effuderunt. Pyrrho* Argis *interfecto,* Antigonus Gonatas *obtinet.* Syria *Seleucum* in *prælio cum Cerauno genero amittit, & post* Soterem Theon *successorem accipit.* Pergamenum *regnum à Philetæro erigitur.*

Roma-

Romani *Tarentinos, etsi à Pyrrho aliquoties victi, in deditionem accipiunt.* Bello Punico I. *propter Messenios suscepto, Carthaginenses in Africa premuntur, post vincuntur, tandem pacem faciunt. In* Sicilia *occupat tyrannidem* Hiero.

Ecclesiam qvod concernit, versum est Vetus Testamentum à LXX. interpretibus in Græcam lingvam, & constitit versio duabus tonnis auri.

III. Ptolomæus Evergetes *Seleuco Callinico* ob parricidium sororis suæ Berenices omnia adimit, sed non retinet; bibliothecæ *Eratosthenem* præficit.

Interim

In Syria *inter* Seleucum Callinicum, & Hieracem *fratrem bellum geritur Gallis adjuvantibus.* Attalus Pergamenus *magnam Asiæ partem occupat.* Arsaces *Parthis Dynastian, quæ supra* ccc. *annos, duravit, erigit. In* Græcia Aratus, *prudentissimus Achæorum prætor, & Macedonum Rex* Antigonus Doso, *florent.* Romani *Carthaginensibus Sicili-*

ciliam & Sardiniam adimunt. Poëtas & Historicos habere incipiunt. Carthaginenses *in Hispania novam Carthaginem exstruunt;* Illyrii *ob piraticam,* Gessatæ Galli *ob excursiones in Italiam, compescuntur.*

IV. Ptolomæus Philopator Antiochum M. Ægypto inhiantem vincit, & præcipuas urbes occupat, mox amittit.

Eo tempore

Antiochus Syrus *Asiæ regnum recuperat, ex Syria præfectos Philopatoris pellit.* Philippus Macedo *ab Achæis vocatus Ætolos vincit, à Romanis seminudus ad Appolloniam in fugam vertitur.* Carthaginenses *tribus præliis Romanos in Italia vincunt;* sed à Claudio Nerone *præsertim compescuntur.* Romani *Scipiones in Hispania amittunt, juniorem verò Publium in Africam cum exercitu mittunt. In* Sicilia *Syracusus Marcellus expugnat.* Ecclesia sub eo magnam persecutionem perpessa est. Elephantis obterendi dabantur.

V. PTOLOMÆUS EPIPHANES in infantia à Philippo & Antiocho infestatur, sed frustra.

Eo imperante

Antiochus Syrus *Phæniciam recipit, à Glabrione & Scipione profligatur, omni cis Taurum Asia cedit.* Philippus Macedo *à Romanis vincitur; & libertas Græciæ promulgatur. Romani Ætolos coërcent, victo in Africa Hannibale bello Punico* II. *finem imponunt.* Eumenes Pergamenus *cum Bythiniæ Rege Prusia bellum gerit.* Reuta Scotorum Rex *ingens prælium cum Pictis committit.* Polybius, Ennius, Plautus, *florent.*

Ecclesiæ tolerabilis est conditio.

VI. PTOLOMÆUS PHILOMETOR ab Antiocho Epiphane infestatur, à populo Romano per *Popilium Lænam* defenditur, *Alexandrum* Epiphanis filium vincit.

Ejus ævo

Antiochus Epiphanes *Syriæ regnum redux occupat. Post eum* Eupator *Hierosolymorum muros diruit*, à Demetrio Seleu-

Seleuci *filio interficitur, qui etiam ab Alexandro fratre Demetrii occiditur.* Perseus Macedoniæ Rex *in deditionem acceptus in triumpho ducitur*, Macedoniæ regno *finis imponitur, quod frustra Andriscus recuperare nititur. In* Judæa Maccabæi *fortiter rem gerunt contra Syros.* Romani *per Scipionem Carthaginem, per Mummium Corinthum delent, Istriam provinciam faciunt, clepsydras conficiunt. In* Scotia *cultus Isidis deponitur, si credere fas est.*

Ecclesia duas horrendas persecutiones sub *Antiocho* sustinuit. Novum templum in Ægypto extruitur.

MEMBRUM II.

De statu Monarchiæ Macedonicæ post sublatum regnum Macedonum.

ARTICULUS I.

De statu ante finem regni Syriaci.

(Ad ann. 3899.)

Et

ET hæc sunt, quæ gesta esse illis temporibus scimus: qvæ seqvuntur, dispesci in illa, *qvæ regni Syriaci finem, & qvæ regni Ægyptiaci exterminium* antecessere, possunt.

Ad tempora regni Syriaci finem antecedentia pertinet historia. *1. Ptolomæi Evergetæ* II. *2. Lathyri. 3. Auletæ.*

I. PTOLOMÆUS EVERGETES II. Physcon dictus, regnum post fratrem adeptus sororem Cleopatram ducit, crudelitatem & libidinem exercet, in Cyprum ejicitur, redux dissimilis sui vivit: Cebennam superbientem opprimit.

Eo regnante

In Syria *Demetrio pulso Antiochus Theos à Typhone, hic ab Antiocho Sedeto,* Demetrius *ab Alexandro Cebenna, iste ab Antiocho Grypo Demetrii filio occisus est. In* Judæa *Simon Jonathæ frater sub nomine* Ethnarchæ *præfuit,* Hyrcanus *filius Idumæam subegit.* Romani *foris Viriathinum bellum gerunt, Numantiam destruunt, in Asia Aristonicum vincunt, in Sicilia ser-*

servos aliquoties victores coërcent, Gallorum c m. *occidunt, & Narbonensem Galliam provinciam faciunt. Domi propter leges omnium statum concutientes à Graccho latas cæde mutuâ grassantur.* In Scotia *eriguntur in Mona Insulâ scholæ.*

Ecclesia Judaica in *Hyrcano* Sacerdotem & Prophetam habuit.

II. Ptolomæus Lathyrus ante exilium nil agit, in exilio Alexandri Judæorum Regis exercitum fundit, inde ejicitur: reductus, postquam frater Alexander ob matris cædem ejectus fuisset, quid egerit, nescitur.

Et ita fluctuante

Syria *post multas cædes ad* Demetrium Eucerum *&* Philippum *fratrem Damasci regem devenit, his in se sævientibus,* Tigrani Armeniæ Regi *tradita est.* Judæa *mutatur ab Aristobulo in regnum, sub Alexandro seditione & successu infelici laborat.* Romani *de Jugurtha triumphant, duce Mario Cimbrorum* cx i. m. *occidunt,* lx. m. *capiunt. In* Sicilia *à Servis,*

in

in Asia à Mithridate exagitantur, quem per Syllam compescunt: turbis Saturnini, Drusi, belli socialis & Syllæ crudelitate, Rempublicam inclinant, à Ptolomæo, Appiano *Cyrenarum Regnum legatum obtinent.*

In Ecclesia Judaica *Essenorum, Sadducæorum & Pharisæorum* Sectæ vigent.

III. Ptolomæus Auletes exactionibus Ægyptum vexat, Romanis Cyprum ut in provinciam redigere permittit, pellitur; à Gabinio jussu Pompeji restituitur.

Ejus tempore

Syria *in formam provinciæ à Romanis redigitur.* A Juda *sceptrum expugnatis per Pompejum* Hierosolymis *deficere incipit.* Parthi *victo Crasso in Syriam excurrunt, à* Longino *reprimuntur.* Romani *Bythiniam à Nicomede, legatam accipiunt,* Mithridatem *per Lucullum & Tigranem, ferrè oppressi frangunt, per Pompejum, qui & piratas compescuit, ad incitas redigunt, bello civili occiso Sertorio finem imponunt:* Catilinam *per* Ciceronem *detectum* oppri-

primùnt, in Gallia & Germania res per Cæsarem præclaras gerunt. In Scotia Ederus auxilia contra Cæsarem mittit. In Islandiam Odinus quidam ex Asia appellit, & sedes in Sigthiur ponit.

ARTICULUS II.

De Statu Monarchiæ Macedonicæ ante finem regni Ægyptiaci.

(Ad ann. 3923.)

AD tempora statum regni Ægyptiaci antecedentia, refertur historia 1. *Ptolomæi Dionysii.* 2. *Cleopatræ.*

I. PTOLOMÆUS DIONYSIUS Pompejum, ad se post prælium Pharsalicum confugientem, occidere jubet: Cæsari insidias struit: in aqvis suffocatus, regnum Cleopatræ relinqvit.

Tum temporis

Amissa est Romæ *libertas. Nam Cæsar à Senatu hostis judicatus, se urbe occupata Dictatorem fecit, Pompejum in Pharsalicis campis vicit, Ponto Regem Judæa*

procuratorem pro arbitrio constituit. Catonem, Scipionem, Pompeji liberos expressit. Nec qvicqvam mors Cæsaris profuit. Nam triumviratu instituto, Senatores plurimi proscripti sunt, Brutusque & Cassius *ab Augusto victi.*

II. Cleopatra Antonium voluptatibus transversum agit, illi nubit; ab Augusto victa, se & Alexandriam, cum interim Antonius qvæsita morte periret, tradit.

Eo temporis tractu

In Judæa *securi percusso ab Herode Antigono, desinit domus Hasamuvæa.* Augustus *Antonium in bello Actiaco ad incitas redigit, & regno Ægyptiaco finem imponit,* Dalmatas *coërcet*, Sextum Pompejum *in Sicilia vincit*, Mauritaniam *provinciam facit.* Thargum Babylonicum *etiam tum compositum est.*

LIBER I.

De Monarchia Romana.

CLAS-

CLASSIS I.

De Imperatoribus Romanis ante divisionem.

TAntum de Monarchia Macedonica. Romana historia dividitur in Imperatorum *ante divisionem generalem & post divisionem*, historiam. Imperatores illi vel ex *solis Romanis* erant, vel ex *Romanis & exteris* simul. Duæ itaqve hujus libri erunt Classes, & primæ classis duo capita.

CAPUT I.

De Imperatoribus ex Romanis familiis electis.

MEMBRUM I.

De Imperatoribus unius familiæ.

(*Ad ann. M. 4017. Christi. 68.*)

IMPERATORES ex Romanis familiis electi vel erant unius familiæ, vel diversarum. Illi fuêre 1. *Augustus*. 2. *Tiberius*. 3. *Caligula*. 4. *Claudius*. 5. *Nero*.

I. OCTAVIANUS AUGUSTUS post decennalem Consulatum *Dictator perpetuus* creatur. *Cantabros* & *Astures* terret, regna *Armeniæ* & *Arabiæ* pro arbitrio distribuit, *Germaniæ* superioris & inferioris magnam partem per *Drusum* & *Tiberium* subigit, *Varronem* cum tribus legionibus amittit, *Janum* ter claudit, moriturus vitam humanam ridet.

Eo imperante

Herodis regnum adjecta *Trachonitide* & *Beræa* augetur. *Samaria* ab eodem sub nomine *Sebeste* restauratur, *Archelaus* filius ejus *Viennam* relegatur, *Judas Gaulonites* seditionem cum Pharisæis movet. *Francus* Sicambrorum Rex cum *Francis* & *Gothis* feliciter bellum gerit. *Quantum ad* Ecclesiam, templum Hierosolymitanum *ab* Herode *exornatur*, *promissus mundi* Messias *nascitur*, *in templo duodecennis docet*. Augustus *aram* primogenito Dei *exstruit*.

II. TIBERIUS crudelis simulator, Germanos & eorum Regem Arminium per Germanicum atterit, per eundem Zeno-

Zenonem Regem Armenis imponit, & Cappadociam in provinciam redigit, seditionem Pannonicarum legionum ægrè per Drusum componit, Sejanum occidi jubet.

Interim

Ratisbona *exstruitur. Pilatus* Judææ *post Gratum præest.*

Ecclesiam qvod concernit, Christus patitur, moritur, resurgit, ascendit, Paulus convertitur.

III. C. CALIGULA Germanici filius à populo ita amatur, ut pro ejus reditu intra trimestre CLX. victimarum millia cæsa sint: prodigus est, crudelitatem & libidinem in omnia exercet, Agrippam ex carcere liberat, statuam suam in templo Hierosolymitano locari jubet, occiditur.

Eo sæviente

Petrus *Joppæ*, Paulus cum Barnaba *Seleuciæ* in *Cypro*, *Pamphylia*, &c. JEsum crucifixum annunciant.

IV. CLAUDIUS à *Messalina* impudicissima, & *Agrippina* imperiosissima

circumducitur, Britanniâ invisit. Agrippæ regnum auget. *Britannico* filio amisso veneno extingvitur.

Eo ita delirante

Mithridates *Pontum turbat*, Gotarzes *Artabano occiso Armeniam & Parthiam Vononi relinqvit*, Theudas *in Judæa tumultuatur*, Svevi *Vannium Regem pellunt.*

Qvantum ad Ecclesiam, Paulus *Athenis*, *Thessalonicæ*, *Philippis concionatur.* Philippus *apud Hierapolin lapidatur.* Simon Magus *statuâ Romæ honoratur.*

V. Nero Claudius monstro qvàm Principi similior, Agrippinam matrem & Senecam præceptorem interficit, amissa in Britannia recuperat, insidiis detectis crudelissimè grassatur, deficientibus â se omnibus exercitibus se ipsum interficit.

Eo insaniente

In Judæa *Gessio Floro neqvissimè grassante Massadæ castello expugnato, & Vespasiano misso, initium desolationis factum est.*

In

In Scotia *Corbredus Caramundam novercam vivam defodi curat. Apud* Danos *Frotho cognomento Pacis auctor egregiè res gerit.*

Ecclesiam qvod concernit, *Paulus* Romam captivus mittitur, aliqvot in carcere Epistolas scribit, causa dicta liberatur. Christiani in *usum nocturni luminis* cremantur.

MEMBRUM II.

De Imperatoribus ex diversis familiis.

(Ad *ann. M.4044. Christi 95.*)

HI fuêre Augusteæ familiæ Imperatores. Diversarum familiarum sunt: *1. Servius Sulpitius Galba. 2. M. Sylvius Otto. 3. Aulus Vitellius 4. Flavius Vespasianus. 5. Titus. 6. Domitianus.*

I. SULPITIUS GALBA crudelitatis Neronianæ administros occidit, congium militi dare non vult, occiditur.

II. SYLVIUS OTTO à manibus Galbæ terretur, Vitellium tribus præliis vincit, qvarto victus, qvæsita morte perit.

III. Aulus Vitellius, lurco, perpetuum se Consulem dicit, comitia in decem annos ordinat, Capitolium cremat, miserrimè necatur.

Illis ita in se grassantibus

In Judæa *duces seditiosorum Hierosolymis inter se confligunt, ad hos exscindendos* Titus Vespasianus *mittitur.*

IV. Flavius Vespasianus, princeps modestus, Germanos instinctu *Civilis* Batavi tumultuantes reprimit, tributa magna exigit. *Achajam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum,* libertate privavit; *Thraciam, Ciciliam, Comagenam,* in provinciam redigit.

Eo imperante

In Judæâ *Hierosolyma per Titum solo æqvatur,* Alani *Caspiis effusi portis* Mediam Armeniamqve *vastant.* Ecclesia etiam tum floruit, Johanne Apostolo *Ephesi,* Lino, Cleto, Clemente Romæ, strenuè invigilantibus.

V. Titus Vespasiani filius imperio accepto melior fit, clementia & liberalitate excellit, in urbe qvædam reficit.

Eo

Eo ad clavum sedente

In Britannia *res egregiè gerit* Agricola, *ad montem præsertim Grampium, & in Hiberniam transcendit.*

IX. Domitianus Titi frater, princeps vitiosissimus, primis regni initiis magistratus coërcet, & leges egregias fert, pòst in vitia effusus, pro Deo coli vult, pacem à Dacis emit, occiditur.

Eo regnante

Ecclesia persecutionem patitur, *Johanne* in Patmum, *Flacio Clemente* in Pandatariam insulam relegatis. Alexandriæ Aniano Marcus succedit. *Evaristus* Romæ titulos presbyteris distribuisse, & septem Diaconos in ordinem redegisse dicitur.

CAPUT II.

De Imperatoribus ex Romanis & exteris sumtis

MEMBRUM I.

De Imperatoribus ante Dyarchiam.

(*Ad ann. M. 4183. Christi 234.*)

IMperatores ex Romanis & exteris promiscuè sumpti dividuntur in illos, *qvi ante Dyarchiam puram sub Dyarchia, ante Dyarchiam cum Polyarchia mixtam, sub Dyarchiâ cum Polyarchiâ mixta*, fuêre. Priorum numerantur tredecim. *1. Coccejus Nerva 2. M. Ulpius Trajanus 3. Ælius Adrianus 4. Antoninus Pius. 5. M. Antoninus Philosopus. 6. L. Commodus Antoninus. 7. Helvius Pertinax. 8. Didius Julianus 9. Septimius Severus. 10. Antoninus Caracalla 11. Opilius Macrinus. 12. Antoninus Heliogabalus 13. Alexander Severus.*

I. Coccejus Nerva Domitiani edicta & statuas abolet, pueros puellasqve egenis parentibus natas per Italiam sumptu publico ali jubet, Trajanum adoptat.

Interim

Johannes ex Patmo redit: Cerinthus, Nicolaitæ & Ebionæi delirant, Christiani accusati absolvuntur, Tacitus floret.

II.

II. M. Ulpius Trajanus Adrianum adoptat, in Daciam colonias deducit. Armeniam, Assyriam & Mesopotamiam subigit, mox easdem amittit. Judæos in Cypro & Ægypto compescit, spectacula Romæ edit.

Eo regnante

Persecutione premitur Ecclesia. Tum Clemens Papa, post quem Anacletus constituisse dicitur, ne sacerdotes barbam nutrirent, in Pontum relegatur. Simon Cleophæ curci affigitur Ignatius Antiochenus bestis objicitur.

III. Ælius Adrianus, princeps inexhausti laboris, Antoninum adoptat, omnia trans Euphratem libera pronunciat, in Britannia murum per octoginta passuum millia ducit, in locum eversæ Hierusalem Æmyliam Capitolinam exstruit, Judæos ad extremum exitium cogit.

Eo imperante

Romæ Thelesphorus *quadragesimale jejunium*, Alexander *lustralem aquam*,

Sixtus *Trisagii decantationem instituit.* Inter hæreticos *Gnostici* grassantur.

IV. Antonius Pius princeps mittissimus uxoris ex fratre nepotes adoptat, Britannos per Lollium submovet, Germanos, Dacos, Judæos contundit. Parthorum Regem ab oppugnatione Armeniorum solis literis abducit.

Interim

Francus *Marcomiri filius* Francofurtum ad Mœnum, *Nepos Sundii, ad* Oderam *condunt*, Mesodes *modos Musicos Citharœdis facit.*

Qvantum ad *Ecclesiam.* Romæ *Pius* paschati diem dominicum sancit. *Justinus* apologiam pro Christianis scribit. *Polycarpus* Marcionem primogenitum Satanæ vocat.

V. Antonius Philosophus, Princeps moderatissimus, Parthos & Armenios per Lucium Verum compescit, victoriam aliqvoties de Marcomannis & Qvadis, Sarmatis, semel precibus fulminatricis legionis obtinet, Avidium Cassium rebellantem coërcet.

Tum

Tum Temporis

Romæ *Soter* nuptias à Sacerdotibus benedicendas ſtatuit. *Eleutherius* Evangelizatores in Angliam mittit. In *perſecutione* à *Marco excitata* periêre inter cæteros *Juſtinus & Polycarpus Cataphryges. Encratitæ* & alii hæretici, nec non diſſidium de paſchate, vigent.

VI. Commodus monſtrum hominis potiùs, qvàm homo, Britannos perUlpium Marcellum domat, Perenni & Cleandro præfectis prætorii omnia committit, à Marciſſo extingvitur.

Ejus tempore

In Scotia Evangelium recipitur, in Imperio Chriſtianis pax datur. *Theodotio* Biblia vertit. Romæ *Victor* non conſentientes in tempus paſchale anathemate ferit.

VII. Helvius Pertinax moribus antiqvis invitus imperium recipit, gravitate milites in ſe concitat, octogeſimo qvinto imperii die occiditur.

VIII. Didius Julianus imperium emit; populum mitigare non pot-

est *Severo*, *Albino* & *Nigro* deficientibus, jussu Senatus occiditur.

IX. Septimius Severus princeps suspicax & crudelis, *Pescennium Nigrum & Albinum*, imperium sibi asserentes, vincit & interficit, Parthos compescit, Britannos ad fœdus faciendum cogit. Plautiano se obnoxium facit.

Interim

In *persecutione Severi* perit *Leonidas* pater Origenis. *A Symmacho* Biblia vertuntur. Apologia pro Christianis ad Romanos Magistratus scribitur.

X. Antoninus Caracalla fratrem Getam in sinu matris occidit, Juliâ matre pro uxore utitur, Osroënorum Regem in vincula conjicit, in Parthos movet.

Interim

Origenes divinas humanasque literas docet: novas sacri Codicis versiones, unam Nicopoli apud littus Actium, alteram in dolio prope Jerichuntem, invenit.

XI.

XI. OPILIUS MACRINUS princeps severus à Parthis pacem ferè redimere cogitur, à militibus, promissis Mæsæ ex domo aulica per eum expulsæ deseritur & opprimitur.

XII. VARIUS ANTONINUS Heliogabalus homo turpissimus & neqvissimus, mirè religiones peragit, luxuriæ intentus est, miserè occiditur.

Ad eum

Julius Africanus historicus Christianus legationem pro instauranda Emaunte, quæ Nicopolis dicitur, suscepit.

XIII. ALEXANDER SEVERUS princeps moderatissimus, Parthos vincit, in Mauritania, Tingitana, Illyrico & Armenia res per suos legatos optimè gerit, in expeditione Germanica cum matre occiditur.

Sub eo

Artaxades Persa *Artabano tota Parthia exuto & cæso regnum suæ genti restituit.* Ecclesia sat qvieta, qvia notitia aliqva Christi imbutus *Alexander*, fuit.

Unde

Unde Romæ Calixtus jejunium qvatuor temporum sancit, *Urbanus* argentea vasa inducit.

MEMBRUM II.

De Imperatoribus sub Dyarchia.

(Ad ann. M. 4217. Christi 268.)

HÆc de Imperatoribus, qvi ante Dyarchiam fuêre, dixisse sufficiat. *Sub Dyarchia*, id est, regimine duorum, octo fuisse scribuntur. 1. *Julius Maximinus.* 2. *Gordianus Junior.* 3. *Philippus Arabs.* 4. *Decius.* 5. *Gallus* 6. *Æmilianus.* 7. *Valerianus* 8. *Gallienus.*

I. JULIUS MAXIMINUS homo sævus sine decreto Senatus ab exercitu eligitur, filium adsciscit, in Germania trans-Rhenana furit. Cordianus contra se electos qvibus Pupienus & Balbinus, post occisi substituti, opprimit, ad Aqvilejam perit.

Ejus tempore

Sævitum est in Christianos præpositos tanqvam doctrinæ ipsorum duces.

II.

II. GORDIANUS JUNIOR, conjurationem in Africa duce Sabiniano in se initam, irritam reddit, Mesitheo socero Duce hostes in Thracia delet, in Persia Saporem coërcet, occiditur.

Interim

Omen dignitatis *Fabianus* à columba devolante Romæ accipit. *Origenes* Episcopum Bostrensem, Christi æternitatem negantem, in viam deduxit.

III. JULIUS PHILIPPUS filium Severum consortem habet. Philippopolim, qvæ Bozra olim, condit, ludos exhibet, in conflictu cum Decio occiditur.

Interea

Origenes scripta sua in lucem edit, *Philippus* Imperator Christianismum amplectitur.

IV. DECIUS cum filio imperat: Julium Valentem, imperium invadentem, occidit: cum Scythis, qvi pòst sub nomine Gothorum imperium destruxerunt, pugnat, proditis consiliis occiditur.

Ejus

Ejus tempore

Persecutionem passa est Ecclesia tantam, ut *Novatianus* propter multitudinem deficientium in errorem inciderit.

V. Vibius Gallus fœdus cum hoste probrosum facit, filium Volusianum in consortium recipit, ab Æmiliano vincitur.

Ejus imperio

Scythæ *rupto fœdere omnia usqve ad Ephesum diripiunt, & Italiæ minantur,* Syriam & Armeniam *Persæ vexant.*

Qvantum ad Ecclesiam, hæc persecutionem passa est. *Origenes* imbecillitatis humanæ exemplar existit. *Sabellius* eundem esse Christum & Spiritum Sanctum docet.

VI. Æmilianus Mæsiæ præfectus, fugatis Scythis in Imperatorem eligitur, ab iisdem, à qvibus imperium accepit, occiditur.

VII. Licinius Valerianus cum filio Valeriano Saporem Persam pecunia frustra placare conatur, captus miserè tractatur & occiditur.

In

Interea

Borani *Trabezuntem*, *Nicomediam*, &c. *expugnant.*

Ecclesia persecutionem sub eo passa & occisi *Cyprianus* & *Laurentius.*

VIII. GALLIENUS Valeriani filius, impius, deses & voluptate diffluens princeps fuit: cum triginta tyrannis conflictatur: ex qvibus *Postumus* in Galliis, *Aureolus in Illyrico*, qviqve vivente Galieno everti non poterant, in obsidione Mediolani occiduntur.

Interim

In Oriente Odenatus, *cujus uxor fuit* Zenobia, *Persas fundit & Mesopotamiam recipit.* Gothi *Scytis junCti Graciam & Asiam minorem; ex Germania* Franci, *qvorum tum innotuit nomen, Gallias;* Saxones & Catti *Italiam, Svevi Pannoniam vastant.*

Ecclesiam qvod spectat, compressa persecutio, *Chiliastæ*, & de rebaptizandis qvæstio viguêre.

MEM-

MEMBRUM III.

De Imperatoribus ante Dyarchiam cum Polyarchia mixtam.

(*Ad ann. M. 4231. Christi 282.*)

IMperatores ante Dyarchiam cum Polyarchia junctam fuêre qvatuor 1. *Claudianus.* 2. *Aurelianus.* 3. *Tacitus* 4. *Probus.*

I. CLAUDIUS DALMATA *Alemannes* prope lacum Benacum fundit, Scytarum diversos populos, ut *Peucinos, Grutungos Austrogothos, Celtas, Herulos* aliqvot præliis fatigat, post mortem statuam meretur.

Interim

Zenobia *Palmyrenorum regina* Ægyptum *frustra occupare conatur.* Scythæ *Cretam Cyprumq; vastare tentant.*

In Ecclesia *Samosatenus* divinitatem filii Dei negat, & damnatur.

II. VALERIUS AURELIANUS, princeps bellicosus, à Marcomannis primò victus, pòst eosdem vincit, muros urbis prolatat, Palmyrenorum Regi

ginam Zenobiam & Tetricum in triumpho ducit, Monetarios in urbe coërcet.

Interea

Dionysius & Felix Romani, *Firmilianus* Cappadociæ, *Gregorius Thaumaturgus* Ponti Episcopi vigent. *Porphyrius* è Christiano fit ipsorum hostis.

III. CLAUDIUS TACITUS princeps frugalis à Senatu eligitur, *Scythias* Mæotidem & Phasin transgressor repellit, legem contra *Monetarios* fert.

IV. AURELIUS PROBUS Germanos & Sarmatas contundit, Copton & Ptolemaidem Romani juri addit, Saturnium Anti-Cæsarem amovet, Bonoso gaudet.

Eo imperante

Manes sectæ Manichæorum auctor viget; laxiora domicilia pro conventibus agendis struuntur.

MEMBRUM IV.

De Imperatoribus sub Dyarchia cum Polyarchia combinata.

(*Ad*

(*Ad ann. M. 4255. Christi 306.*)

SUb Dyarchia cum Polyarchia conjuncta continetur historia 1. *M. Aurelii Cari.* 2. *Valerii Diocletiani* 3. *Constantii Chlori*, & illorum, qvi cum iis imperavêre.

I. MARCUS AURELIUS CARUS Carinum Numerianumqve filios Cæsares appellat, Imperatoris Persici nomen obtinet, Carinum degenerem agnoscit.

II. VALERIUS DIOCLETIANUS Carinum vincit. *Aurelium maximinum* adoptat, & per se qvidem Ægyptum compescit, per illum Galliam & Africam in ordinem redigit, mox *Galerium Maximinum*, qvi post Parthos vicit, adoptat; Maximinus verò *Constantium Chlorum*, Alemannorum mox victorem, & Spiræ conditorem, Cæsarem esse jubet.

Sub istorum gubernio

Ingenti persecutione premitur Ecclesia. Martyrium subiêre *Dorotheus*, *Gorgonius Anthimius*, *Philoromus* Procura-

rator Cæsaris Alexandriæ, & qvi omnibus palmam præripuit, *Romanus* Cæsariensis Diaconus.

III. FL. CONSTANTIUS CHLORUS Maximianum interficit. Italia & Africa sua sponte cedit. *Galerium* primò, mox *Severum*, *Maximianum*, & *Licinium*, à Galerio adoptatos, *Maxentium* à militibus electum, socium imperii habet.

Interim

Galerius Christianos ita persequitur, ut lassati judicum oculi, fessæ carnificum manus fuerint. Periere tum *Anthimus* Nicomediæ, *Tyrannio* Tyri, *Petrus* Alexandriæ, *Silvanus* Gazæ Episcopi. In aliis orbis partibus innumeri.

CLASSIS II.

De Imperatoribus Romanis sub divisione generali.

CAPUT I.

De Imperatoribus sub divisione prima.

fuit

Fuit hactenus Imperium Romanum indivisum. Imposterum divisum in Orientis & Occidentis regna erit. Divisio verò illa est *Prima*, vel *secunda*. Primæ divisionis triplex est ratio: vel enim fuit *inchoata* vel *interrupta*, vel *continuata*. Unde tria exurgunt membra hujus capitis.

MEMBRUM I.

De divisione Romani Imperii inchoata.

ARTICULUS I.

De Divisione Romani Imperii à suis facta.

Divisio Romani Imperii inchoata, est vel *ab ipsis Imperatoribus*, vel *à Barbaris* in Italiam subinde irrumpentibus. Illa qvadruplex esse statuitur, & ad unamqvamqve singularia Imperatorum acta pertinent.

PUNCTUM I.

De prima speciali R. Imperii divisione ab Imperatoribus facta.

(Ad

(*Ad ann. M. 4286. Christi 337.*)

AD primam Romani Imperii divisionem ab ipsis Imperatoribus factam pertinet historia *Constantini Magni.*

CONSTANTINUS verò M. res egregiè in Germania & Gallia gerit. *Maximinianum* Socerum strangulat, *Maxentium* in Tiberi suffocat, *Maximinum* per Licinium Cæsarem & affinem vincit, *Licinium* post tumultuantem, aliqvot præliis fractum, opprimit. *Rausimodum* Sarmatarum Regem vincit, Sedem Imperii *Constantinopolin* transfert: Imperium in Orientem & occidentem distribuit.

Sub eo

Maximinus Ecclesiam vexat: *Donatus* & *Arrius* eandem turbant. *Concilium Nicenum*, cui præsidet Constantinus, & in qvo conjugium asseritur, celebratur.

PUNCTUM II.

De secunda speciali imperii divisione.

(*Ad ann. M. 4312. Christi 363.*)

AD secundam imperii specialem divisionem pertinet historia *1. Constantini. 2. Constantis. 3. Constantii. 4. Juliani. 5. Joviani.*

I. CONSTANTINUS cuncta trans Alpes obtinens, Rethias Vindeliciam, & Noricum insedit: & ignotus tertio imperii anno occiditur.

II. CONSTANS Francos Galliam populantes devincit, Athanasium defendit, fraudulenter interficitur.

III. CONSTANTIUS *Vetrannionem* Imperatorem in Illyrico electum sibi devincit, *Magnentium* victum ad mortem adigit, de *Gallo* crudeli Principe supplicium sumit. *Sarmatas Limigantes* internecione delet; *Julianum* adsciscit,

Sub eo

Franci, Alemanni & Saxones Coloniam Agrippinam occupant. Sapores *Mesopotamiam & Armenias reposcit, & Amida Castrum expugnat.*

Ecclesia vehementer propter *Arrianorum*

norum causam & *Athanasii* restitutionem, & quasdam hæreses turbatur. Unde *Sardicense*, *Mediolanense* & *Ariminense* Concilia.

IV. JULIANUS Constantino apertè inimicitias denunciat, templum Hierosolymitanum frustra restaurare conatur, in Persas tendit, in prælio ab ignoto Equite occiditur.

Sub eo

Miser erat Ecclesiæ status. Vale enim Christianismo remisso, Christianos bonis exuebat, Scholas occludebat, in Christum contumelias *Libanio* Sophista instigante scribebat.

V. JOVINIANUS invitus Augustalibus ornatur, cum *Sapore* pacem ignominiosam facit. Nam ipsi quinque trans Tigrim provincias & Mesopotamiæ partem tradit, & Arsaci Armeniæ Regi auxilia se non missurum spondet.

Interim

Promittit se honoraturum eos, qui Ecclesiæ ad concordiam reducendæ authores se ostenderint.

PUNCTUM III.

De tertia speciali Imperii divisione.

(*Ad ann. M. 4345. Christi 396.*)

SUb tertia imperii divisione florebant, 1. *Valentinianus.* 2. *Valens.* 3. *Gratianus.* 4. *Valentinianus* II. 5. *Theodosius.*

I. VALENTINIANUS cum Valente imperium dividit, *Gratianum* filium successorem pronunciat, Procopium punit, Alemannos comprimit, Saxones circumventos obtruncat.

Interim

Picti & Scoti *Britannos vexant*: Austoriani *Africam infestant*. Romæ *Damasus* & *Ursicinus* de Episcopatu concertant; Mediolam *Ambrosius* in Episcopum creatur.

II. VALENS bella Persica qvoqvo modo componit. *Gothos* ab *Hunnis* ex intima Sarmatia pulsos in *Thraciam* recipit: ab iisdem, præfectorum avaritiâ irritatis, occiditur.

Sub

Sub eo

Persecutionem Catholici patiuntur, *Gothi* religione Arriana imbuuntur.

III. GRATIANUS Theodosium collegam assumit, *Priariũ* Alemannorum Regem occidit.

Sub eo

Maximus *Dux* Eugenium Scotorum Regem in *Britannia vincit.* Longobardi, *Sive è Scandenavia sive aliunde progressi, Vandalorum sedes post Pannoniam occupant.*

Ecclesiæ Episcopi exules restituuntur. Lex, ut qvisqve, quam vellet, religionem profiteretur, exceptis *Photinianis*, *Manichæis* & *Eunomianis*, fertur.

IV. VALENTINIANUS II. Maximum per Theodosium vincit, & Occidentem recipit : ab *Arbogaste* Franco vexatur, & per eundem Viennæ strangulatur.

Idem

Symmachum pro Ethnicismo intercedentem frustra esse jubet.

V. THEODOSIUS de Gothis & Scy-

this triumphat, *Athanaricum* ipsorum Regem honore afficit, Gruthungos in Istro demergit, de Eugenio ab Arbogaste in locum Valentiniani substituto, insignem victoriam reportat: *Honorium* & *Arcadium* filios Imperatores declarat.

Ejus tempore

Concilium Constantinopolitanum celebratur, *Nicenum* approbatur; Locus *Constantinopolitano Episcopo* post *Romanum* proximus assignatur, *Ambrosius* Theodosium excommunicat. Circa Mortuorum ossa delirare qvidam incipiunt.

PUNCTUM IV.

De qvarta speciali imperii divisione.

(Ad ann. M. 4423. Christi 474.)

AD qvartam specialem imperii divisionem pertinet historia 1. *Arcadii.* 2. *Theodosii.* 3. *Marciani.* 4. *Leonis in* Oriente; *Honorii* & *Valentiniani* III. in Occidente.

I. AR-

I. ARCADIUS in Oriente Ruffinum, Gainam & Eutropium imperio inhiantes oppressit, Spectacula gladiatorum abrogavit, filio Theodosio *Isdegerdem Persam* tutorem reliqvit.

Sub eo

Alaricus Gothus Græciam vastat. In *Ecclesia* excitatur Schisma inter Orientalem & occidentalem Ecclesiam, & viget de *libris & dogmatibus Origenis* Controversia: *Chrysostomus* & *Epiphanius* inter se contendunt: *Monachorum* soboles gliscit.

II. THEODOSIUS II. Arcadio succedit, à *Wararane* Persa infestatur, sed eundem vincit, & Saracenos auxiliares cædit; victoria etiam in monomachia per Areobindam potitus, pacem ipsi imperat. *Constantium* ab Honorio Imperatorem declaratum agnoscere noluit. Johannem scribam etiam supplicio afficit.

Ejus tempore

Incipiunt Franci *in Gallia regnare: primus Rex est* Pharamundus, *cui succedit*,

post Clogium, Merovæus. Veneti, *sinus Adriatici accolæ, occupato in vicino mari loco, qvi adhuc rivus altus dicitur, ponunt fundamenta ejus urbis, qvæ regina Urbium dicitur.* Concilium Ephesi Oecumenicum III. celebratur, in qvo *Nestorius* damnatur.

III. Marcianus Theodosio succedit, Pulcheriam in speciem in matrimonium ducit, cum Vandalis pacem facit, & freqventer illud in ore habet: qvamdiu pacatè vivere licet non est decorum principi, ut arma sumat.

Ejus tempore

Occiso Valentiniano Gensericus Romam spoliat, & Maximus interficitur: Avitus vero, qvi ei successit, Francos *trans Ligerim comprimit: Cis Ligerim* Theodoricum *Gothorum Regem à Romanis in Hispaniam &* Svevorum *ibi Regnum averit: à* Rizimero *Roma pellitur.*

Qvantum ad Ecclesiam, in Concilio Oecumenico IV. *Chalcedone* celebrato, damnatur *Euthyches*, & *Leo Papa* actis subscribere non vult.

IV.

IV. Leo Marciano subſtituitur, per *Majoranum* Vandalos Italiâ pellit : in Gallia à Gothis adempta recipit : per *Julium Nepotem* Glycerium, Olybrii in Occidente ſucceſſorem, imperio deponit : *Theodorico*, Gothorum Rege, *Theodoricum Veronenſem* obſidē recipit.

Sub eo

In Occidentali *imperio* Severus *Alanos* in *Italia delet.* Julius Nepos *contra* Oreſtem *Gothum* Odoacrum Heruloru^m^ Regem *accerſit.* Hic *Auguſtum Imperatorem Occidentis in exilium mittit, & Regnum ſuum in Italia ſtabilit. Ex* Gallia *fugit* Childericus *in Thuringiam.* Conſtantinopoli *excitatum eſt* à Studio *Conſulari Cœnobium.*

V. Honorius *Alaricum* Gothorum Regem per Stiliconem in Illyricum ex Italia ejicit, ipſo Stilicone occiſo : milites ſibi infenſos reddit, & ab Alarico Ravennæ obſidetur. *Attalum* contra ſe electum, & Conſtantinum Imperatorem in Galliæ oris imperium

sibi vendicantem per *Constantium* obtruncat.

Sub eo

Alaricus Visigothorum *Rex Pannonias occupat, bis Romam capit, Italiam ad Siciliam usque vastat,* Athaulfus *ejus affinis Gothos in Narbonensem Galliam educit.* Vallia *ejus successor Hispaniæ citerioris partem, in quam Duce* Godegesilo *Vandali penetrarant,* obtinet. Burgundiones *sedes ad Rhodanum ponunt.*

Ecclesiam qvod concernit, *Innocentius Papa* vetera Numina sacrificiis placare permittit. In *Concilio Carthaginensi* hæresis *Pelagiana* damnatur. *Burgundiones* ad Christum convertuntur.

VI. VALENTINIANUS III. Honorio succedit, Casinum Bonifacii ducis operâ profligat, *Placidiæ* arbitrio res dirigit: vitam, propter pudicitiam uxoris Maximi violatam, amittit.

Ejus tempore

Genericus *Vandalorum in Hispaniâ Rex* Africam *occupat, in Siciliam trajicit;* Attila *Hunnorum Rex Græciam vastat,*

in

in Galliam excurrit, in campis Catalaunicis ingenti prælio (clxiii. m. periisse *dicuntur*) *ab Aëtio &* Theuderico Visigothorum Rege *vincitur.* Britanni, *evocatis Saxonibus duce* Hengisto & Horsa, *contra Scotos, ab ipsis domantur, terra in septem regna dividitur.*

Qvantum ad Ecclesiam, *Romanus Episcopus* Apiarii causam agit, falsitatis convincitur. *Leo papa* prius dominatum in omnes totius orbis Episcopos sibi vendicat.

ARTICULUS II.

De Divisione Romani Imperii à barbaris facta.

(*Ad ann. M. 4476. Christi 527.*)

TAntum de divisione Romani Imperii ab *ipsis Imperatoribus facta.* sub divisione qvæ Barbaris in Italia regnantibus duravit, comprehenditur historia 1. *Zenonis.* 2. *Anastasii Dicori.* 3. *Justini.*

I. Zeno, Leone filio ex Ariadne suscepto, mortuo, imperat, à Sebastiano

regitur. Basilisco imperium occupante, in exilium fugit, revocatus paulò pòst sepulchro ab uxore includitur.

Ejus tempore

Scythæ & Gothi *Thraciam populantur.* Odoacer *Bulgaros, Gentem Henetam, quæ nuper Wolga fluvio in Romanas provincias venerat, conducit, rex Italiæ salutatur.* Vortimerus *Britannorum Rex à suis crematur.* Clogius *finem Romano Imperio in Gallia imponit.*

Ecclesia patitur in Africa sub *Hunerico* & *Gundabundo* persecutionem.

II. Anastasius Dicorus seditionem à Longino excitatam difficulter sedat, *Cabado* Persa pacem pecuniâ redimit. Vitalianum Scytham eludit, *Avaros* impunè grassari permittit, fulmine perit.

Eo regnante

Theodoricus, *Odoacro interfecto, Italiam, Pannoniam Syrmio occupato, sibi sumit. In* Hispaniam *arma profert. In* Gallia Clodoveus *cum* Alarico *bellum gerit.* Burgundiorum *Rex* Gundebundus *fratri bellum infert.* Qvan-

Qvantum ad Ecclesiam, *Anastasius* orthodoxos perseqvitur. *Alamandurus* Christo nomen dat. Festum *Michaëlis Archangeli* instituitur.

III. Justinus Hunnorum Regis infidelem militiam experitur. Cum *Cubade* pacem facit.

Ejus tempore

Morosior fuit Theodoricus. Sclavi *gens Scythien Histriam occupant.* Almaricus *fit Gothorum in Gallia & Hispania Rex.* Franci *partem ipsorum regni in Gallia ab Amalsuintha accipiunt.*

Ecclesia tum crevit, *Manichæorum* excidio, *Laziorum* & *Vandalorum* Regis *Hilderici* accessu.

MEMBRUM I.

De Restauratione Romani Imperii.

(*Ad ann. M. 4360. Christi 611.*)

HActenus fuit magna pars Romani Imperii ab Imperatoribus avulsa. Restauratum dicimus, non qvòd

omnia sunt vindicata, sed qvòd Italiâ Barbari sint expulsi. Sub hac verò comprehenditur Historia 1. *Justiniani.* 2. *Justini Junioris.* 3. *Tiberii* II. 4. *Mauritii.* 5. *Phocæ.*

I. JUSTINIANUS operâ Belisarii Persas vincit, Africam *Vandalis* eripit, Romam *Gothis* aufert, Siciliam per Mundum occupat: per Narsetem verò, post varia certamina capto *Teja*, regno Gothorum in Italiâ finem imponit, Hunnos opprimit: leges, ope Triboniani & aliorum XXXVI. Jurisconsultorum colligit.

Eo imperante

Samaritani *regem sibi eligunt & cæduntur.* Franci *Thuringos & Saxones domant*, in Hispania *in arctum coguntur.* Certicius *West-saxonum in Anglia Rex Vectim insulam occupat.* Burgundiones *Mediolanum occupant.* Dani *Frisiam vastant*, *Frisii Daniam.* Lechus *principatum in* Polonia *constituit.*

Qvantum ad Ecclesiam, festum ὑποπαντῆς instituitur. *Concilium Oecumeni-*

menicum qvintum, in qvo nullus ex Occidente Episcopus interfuit, Constantinopoli de tribus Capitulis celebratur. *Romæ* Schismata vigent. *Adad* Æthiopum Rex Christianam religionem amplectitur.

II. JUSTINUS JUNIOR Ravennæ Exarchatum instituit. Primus *Exarchus* est *Longinus*, justitiam administrat, patrocinium Armeniæ & Iberiæ infeliciter suscipit.

Sub eo

Cosroës M. *Persarum Rex provincias Romanas horribiliter invadit.* Leovigildus *integro Gothorum in* Hispania regno *cum* Narbonensi Gallia *potitur.* Ethelbertus *Rex Angliæ insulam totam, excepta* Northumbria, *occupat. In* Gallia *persequitur* Clotharius *Chramnum filium.* Longobardi *à Narsete excíti intra Alpes, Apenninum & mare Ligusticum novum regnum duce* Alboino *excitant.*

In Ecclesia Romana seditiones ob successionem & pascha vigent. *Ethelbertus*

Rex

Rex Canthuarienſium Chriſtianam religionem recipit. *Theudemirus* Svevorum in Hiſpania Rex Arrianiſmo valedicit. Picti à *Columbano* in religione inſtituuntur. *Donatus* primus *Monachatum* in Hiſpaniam inducit.

III. TIBERIUS II. *Coſroëm* ferè capit. *Ormisdam* ejus ſucceſſorem compeſcit. Eleemoſynas liberaliter largitur.

Eo imperante

In Gallia *fratres inter qvos diviſum erat regnum, tumultuantur.* Longobardi *Duce* Arichide *Beneventum occupant.* Leovigildes *Arrianiſmum in Hiſpania propagat.*

IV. MAURITIUS Perſas adeò reprimit, ut æternam pacem fecerint, *Sclavos* compeſcit; in odium, qvod captivos à *Chagano* redimere non vult, venit; à Phoca, in ſuum locum ſubſtituto, miſerè cum univerſa domo occiditur.

Eo imperante

Chagamus *Avarorum Rex* Turcas *Sogdia-*

dianæ incolas vincit. Leovigildus *regno Svevorum in* Hiſpania, Andecane *rege capto potitur. In* Gallia Fredegundis *adultera rem filii ſtrenuè agit.* Edelfridus *Northumbrorum in Anglia Rex* Aidanum *Scotiæ Regem vincit.* Romanus Exarchus *loca qvædam Longobardis eripit.* Antharit *Longobardorum Rex Hiſtriam occupat.* Agilulphus *Romæ minitatur.*

In Eccleſia turbatur propter *Oecumenici Epiſcopi* titulum. *Gregorius M.* Romæ floret. Angli per *Auguſtinum* convertuntur. *Reccaredus* in Hiſpania Orthodoxis accedit. In *Concilio Gallico* ordinatum, ut mulieres Euchariſtiam adhibito linteolo nitido reciperent.

V. PHOCAS bello à *Coſroë* & *Cagano* petitur, crudelitatem in Narſetem & alios magnos viros exercet, ab *Heraclio*, Heracleonis Africæ & Lybiæ præfecti filio, vincitur & occiditur.

Eo ſæviente

Victericus *Gothorum in Hiſpania Rex inter epulas occiditur. In* Gallia Brunechil-

childis *tumultuatur*. Agilulphus *Longobardus multa loca de Exarcho capit*. Sclavini qvi & VVinidi *Hunnorum & Avarorum jugum excutiunt*. *Bonifacio* Oecumenicus Episcopus, *à Phoca esse* jubetur. *Campanæ* in Burgundia introducuntur. Judæis à *Sisebuto* in Hispania imponitur, ut Christianam religionem discant.

MEMBRUM III.

De repetita Romani Imperii divisione.

ARTICULUS I.

De Imperatoribus Heracleonidis.

(Ad *ann. M. 4669. Christi 719.*)

ET hæc etiam sufficiant de illo tempore, qvo interrupta fuit Romani Imperii divisio : seqvitur jam eadem repetita, & qvidem in Oriente, excitato, à Mahumete perfido, regno. Imperatores, qvi hoc temporis tractu occurrunt, sunt vel *Heracleonidæ* vel *Isauridæ*. Illi à patre sic dicti sunt 1. *Heraclius*

raclius. 2. Constans. 3. Constantinus. 4. Justinianus. Qvibus accenseri possunt, 5. Philippicus Bardanes. 6. Artemius. 7. Theodosius III.

I. Heraclius Persas primò ad Æthiopiam usqve grassari permittit, pòst eosdem in ipsa Persia, Turcorum copiis sibi adjunctis, vincit & Constantinopoli defensa pacem cum *Siroë* qvi *Cosroëm* pòst occidit, facit.

Eo imperante

Machometus *Coranum spargit, & novum Regnum in* Arabia *excitavit*, Omar Calipha *secundus Persicum Imperium à gente* Artaxari *ad Saracenos transfert, & Syriam ferè totam sibi subjicit.* Rotharis *Longobardus duas provincias* Heraclio *eripit*, Svvintilla *totius Hispaniæ Dominus fit. In* Gallia *regnum amplissimum* Dagoberto & Ariberto *filiis suis* Clotharius *II. relinqvit, qvorum ille Frisios cum Rege* Beroaldo *vincit.*

Ecclesia numero professorum augetur. *Edvinus & Vinegildus* Reges in Anglia religionem suscipiunt. *Ercombertus*

Idola

Idola destruit. In *Conciliis Toletanis* de non admittendis in Hispaniam non Catholicis, non cogendis ad religionem Judæis, qvædam decernuntur.

II. CONSTANS Heraclio post Constantium fratrem succedit: ab *Othmene*, Calipha & Longobardis Magna clade afficitur. Romam spoliat, crudeliter in suos etiam grassatur.

Eo imperante

Othmen Calipha *Cyprum & multa alia occupat*; Rotharit *Longobardus omnes in Tascia urbes capit.* Grimoaldus *Avares Bulgaros in amicitia continet*: Bulgari *Bovianum in Italia accipiunt. Dalmatæ Sclavi Duce* Czecho *regnum* Bohemorum *occupant. In* Gallia *Austrasiani turbant, & res* Mærovingorum familiæ *inclinantur.*

Qvantum ad Ecclesiam, *Constans* ob hæresin *Monothelitarum* male affectus est. *Vitalianus Papa* organum Musicum in templa introducit. In *Concilio Toletano* festum Annunciationis Mariæ in 17. Decemb. transfertur. In Anglia de *paschate* agitur. III.

III. CONSTANTINUS POGONATUS motus Saracenorum in Sicilia componit, fratres mutilat, Constantinopolin fortiter defendit, & pacem in triginta annos facit.

Eo regnante

Saraceni *in Africa & circa Hispaniæ oras tumultuati sunt.* Mysia *inferior* Bulgaris *concessa est.* *In* Hispania *rem egregiè* Wamba *administrat.* *In* Gallia Ebroinus Theodoricum *possidet.* Pertharis ab exilio in regnum Longobardicum redit.

Qvantum ad Ecclesiam, in Concilio Constantinopolitano *Monothelitæ* damnantur. *Muctar* Pseudopropheta Persidem occupat. *Sudarium Christi* invenitur. *Confirmatio Pontificis* Constantino Clero remittitur.

IV. JUSTINIANUS Rhinotmetus inducias cum Saracenis & Bulgaris factas infeliciter bis rumpit, *Mardaitas* removet, Sycophantis nimium auscultat, in exilium pellitur, sed per Bulgaros redux ingratum & crudelem se ostendit.

In

Interim

Eo exulante Leontius *Saracenos ex Africa redeuntes vincit.* Apsimarus *ipsius successor eosdem in Syria & Cicilia cladibus afficit. Apud Saracenos* Marvanis, *qui primus cum posteritate axioma illud aliqvandiu obtinuit, filius* Abdelmelechus, *regnat. Longobardiam* Ragunbertus *Taurinensium Dux ad se trahit & filio relinqvit. In* Gallia Pipinus *universæ Franciæ major domus creatur, &* Radbodum *Frisiorum regem ab Ultrajecto repellit.*

In Ecclesia sunt disidia inter R. P. & *Ravennatem*: qvidam ad Christianismum convertuntur.

V. PHILIPPICUS BARDANES turbulenter rem administrat: à Papa rejicitur.

Sub eo

Saraceni *Pisidiæ Antiochiam occupant.* Aribertus *Longobartus in Ticino amne suffocatur.*

Ecclesia *Monotheletarum* hæresi turbatur. Primus pontificum *Constantinus* aspectu hæreseos obedire summæ po-

te-

testati renuit. *Imaginum* controversia incipit.

VI. ARTEMIUS ANASTASIUS milites contra Saracenos Rhodum mittit, qvi *Theodosium Adrumettenum* imperare jubent, & reduces Artemium Monasterio mancipant.

Eo imperante

Saraceni *Galatiam depræ dantur*. Rodericus *Hispanus in prælio contra eos cadit, & iisdem Hispaniam relinqvit*, Carolus Martellus *ex exilio redit*.

VII. THEODOSIUS *III.* captus à Leone filio suo purpuram anno vertente deponit, reliqvum vitæ tempus pro Clerico Ephesi exigit.

Ejus tempore

Musalmas Saracenus Pergamum capit.

ARTICULUS II.

De Imperatoribus Isauridis.

(*Ad ann. M. 4750. Christi 800.*)

IMperatores Isauridæ ab Isauro patria sic dicuntur, sunt: 1. *Leo Isaurus*. 2. *Constantinus*. 3. *Leo* IV. Por-

Porphyrogenitus. 4. Constantinus V. cum *Irene* matre.

I. LEO ISAURUS *Suleimanem* Calipham Constantinolim obsidentem ingenti prælio vincit, cum *Haschemo* pacem facit, à Gregorio Pontifice Romano excommunicatur.

Eo regnante

Chaganus *Cazarorum princeps Saracenos fundit*, Luitprandus *Longobardus Ravenam Exarcho adimit*, *à* Gregorio *post infestatur.* Carolus Martellus *res egregiè gerit. Amicitiam Longobardicam magni facit, Saracenos ingenti prælio vincit. In* Hispania *ad Asturiæ montes erigitur novum* Legionis & Castellæ *regnum*, *ad saltus Pyrenæos* Garsias Ximerius *fit rex* Navarræ & Suprarbiæ.

Ecclesiam qvod concernit, *Inas* West-Saxonum in Anglia Rex ditiones suas *Vectigales R. E.* facit. *Luitprandus* donationem Alpium renovat. Imaginum controversia viget, & inter propugnatores *Damascenus.* Beda moritur.

II. CONSTANTINUS Copronymus Arta-

Artavasdum reprimit, Saracenos in Assyriam usqve persequitur, Bulgaros ad qvietem compellit.

Eo imperante

Saraceni *seditionibus ob* Abrahamum Sacerdotem *occisum agitantur*. Abugephar Elmantzur *Seleuciam readificatam* Bagdet *vocat*. *Longobardi* Rachisius & Aistulphus *Romanos Pontifices inqvietant, à* Pipino *reprimuntur*. *Hic* Rex Francorum *salutatus* Carolovingorum Dynastiam *erigit, gratum erga Romanam Ecclesiam se gerit*, Parlamentum *instituit*. Hispania *fuso* Juzapho *vectigalis* Mizamolino Babylonio *esse desinit*.

In Ecclesia controversia imaginum vehementer urgetur, Monachi infestantur, & Pontifices inter se tumultuantur.

III. Leo IV. Telericum Bulgarum pulsum benigne excipit, in Syria Saracenos vincit, post carpit.

Eo regnante

Desiderio *Longobardo capto impositus est a* Carolo *finis regno ipsorum in Italia;*

ab eodem multa in Saxonia occupantur. In Polonia *floret* Venda *regina.*

Ecclesia reductis ad Christianismum multis Germaniæ populis & erectis Episcopatibus aucta est. Controversia imaginum viget.

IV. CONSTANTINUS V. per matrem primò rem feliciter contra Sclavos gerit, per se cum Saracenis & Bulgaris infeliciter bellatur, crudelitatem exercet, à matre exoculatur: hæc verò dividere cum Carolo imperium cupit.

Interim

Carolus *Saxones in Brabantiam transfert.* Tassilonem *Bavariæ Ducem capit: Hunnos contundit.* Augustus & Romanorum imperator *à Leone Papa proclamatur.* Alphonsus Asturum Rex *Saracenos fundit.* Dani *in Angliam appellunt.*

Qvantum ad Eccleſiam, *Nicæna* II. *Synodus* cultum imaginum approbat. *Francofurtana* mediam viam ingreditur: de processione Spiritus sancti disputatur; Romæ, de successione.

CA-

CAPUT II.

De Imperatoribus sub divisione II.

SIc Deo benedicente emensi sumus tempora, qvæ inter divisionem primam & secundam intercessere. Hujus tempora in *interregnũ antecedentia, & eadem consequentia* dispescuntur. Duo itaqve hîc exurgunt membra.

MEMBRUM I.

De Imperatoribus ante interregnum.

IMperatores, qvi temporibus interregnum antecedentibus fuêre, fuêre vel *ex Francis*, vel *Saxonibus*, vel *Franconibus*, vel *Svevis*, vel *diversis familiis*. Unde qvinqve articuli oriuntur.

ARTICULUS I.

De Imperatoribus Francis.

(*Ad ann. M. 4869. Christi 919.*)

EX Francis fuêre: 1. *Carolus M.* 2. *Ludovicus Pius.* 3. *Lotharius I.* 4. *Ludovicus II.* 5. *Carolus Calvus.*

6. *Ludovicus Balbus.* 7. *Carolus Crassus.* 8. *Arnulphus.* 9 *Ludovicus* IV. 10. *Cunradus* I.

CAROLUS M. Longobardicas leges recenset, Venetias sibi subjicit, post sui juris esse sinit. Helmstadium, Naumburgum, Dresdam, Hamburgum, condit, erga Ecclesiam liberalis est.

Eo imperante

In Oriente Nicephorus *Imperator crudelis ab* Aharune Ereschide *Calipha vincitur, à* Crunno Bulgaro *interficitur.* Michaël Curopalates *Saracenos reprimit. Ipsi tres* Caliphas *simul habent. In* Dania *floret* Gothricus, Gormonis, *qui incredibilia patrasse dicitur filius.* Edelredus *reducitur in* Angliam. *In* Scotia *fert* Achajus *per fratrem* Guilielmum *Carolo auxilia. In* Hungaria *erigit secundam Hunnorum Dynastiam (primæ dicitur auctor* Balamber) Arphad. *In* Polonia Lescus II. *infestat* Caganum *Hunnorum Regem.* Tertius inter filios 21 distribuit provincias.

Quantum ad Ecclesias, pelluntur ex Asia

Asia Christiani ab aharune. Constantinopoli ob receptionem excommunicati absqve pœnitentia dissidetur. *Concilium* celebratur *Aqvisgrani.*

II. Ludovicus Pius Sclavos, Sorabos Bernhardum fratris Pipini filium compescit. *Ludovicum* Pannoniæ inferioris Ducem & Nortmannum opprimit, à filiis impiè exagitatur.

Eo imperante

Leo Armenius à Balbo *in bello cæditur, hic Siciliam & Dalmatiam amittit,* Saraceni *Cretæ nomẽ* Candiæ *imponunt: in* Asia *cum Theophilo vario Marte contendunt.* Sanctius Navarrenus *à Saracenis occiditur,* Ranemirus Hispanus *illos terret. In* Anglia Ebertus V West-Saxonum *Rex tota Insula potitur; filius ejus à Normannis impetitur.* Alpinus *Scotus à* Pictis *occiditur: at* Kennethus *filius ipsos delet:* Haraldus *Rex Danorum Moguntiæ babtizatur.* Popielus *in Polonia patruos suos veneno interimit.*

Ecclesiam qvod concernit, Constantinopoli imagines prohibentur: à *Gre-*

gorio *Papa* festum omnium Sanctorum instituitur.

III. Lotharius I. Ludovici filius à fratribus bello petitus ad justam hæreditatis divisionem adigitur; Lotharingiæ nomen dat, monasterium ingreditur.

Eo imperante

Michaël III. contra *Saracenos in Oriente non satis feliciter pugnat, per* Theodoram & Bardam *omnia administrat. In* Germania *vincit Ludovicus* Sorabos. Galliam *carpunt Normanni.* Italiam *Saraceni populantur, sed à* Ludovico *Lotharii filio repelluntur. In* Hispania Ordonius *à Toleranis recipitur. In* Anglia *Cantium & Northumbria Pontifici in vectigal obstringitur.* In Polonia Piastus *Crusuicensis evehitur ad regnum.*

Quantum ad Ecclesiam, Romæ sedet post *Leonem IV. Johannes VIII.* fœmina. *Bulgari* Christianismum recipiunt.

IV. Ludovicus II. Italiam contra Saracenos defendit. *Rex Lotharingiæ*

giæ post fratris mortem Romæ creatus, imperium patruis relinqvit.

Eo imperante

Basilius Macedo *in Oriente Saracenos ita affligit, ut decennium qviescant: ærarium restaurat. Apud* Saracenos *Caliphatus dividitur*, Abasidæ *in* Bagded, Tolonis *verò posteri in* Ægypto *sedent.* Russorum *nomen innotescit. In* Gallia *Britones pacem extorqvent Carolo. In* Hispania Alphonsius M. *Saracenos sternit.* Anglia *à Normanis vastatur. In* Scotia *Moniales, ne ipsis præda fiant, naſos sibi & labrum superius mutilant. In* Germania *Sclavi duce* Sventiboldo, *Carolomanni exercitum fundunt.* Ludovicus *muta bella contra* Bohemos *& alios gerit.*

Qvantum ad Ecclesiam, *Concilio Oecumenico* VIII. Constantinopoli celebrato, Cultus imaginum stabilitur, Corbienses Monachi in *Rugiam* descendunt.

Carolus Calvus Ludovici demortui patruus à Pontifice coronatur. Basonem *Regem* Provinciæ Berengari-

garium *Forojulienſium*, Gvidonem *Spoletanorum* Ducem creat. Ludovici Germanici filiis Lotharingiam infeliciter eripere cupit; à Carolo Craſſo in fugam conjicitur.

Eo regnante

In Oriente Oſmam Amiram *in prælio occumbit*. In Gallia *Duces Britonum, occiſo ſuo Rege inter ſe congrediuntur*. Ludovicus *eam ferè occupat*. Normanni *partem illam, quæ* Normannia *dicitur duce* Rollone *accipiunt*. Hollandiæ Theodoricus *Comes primus datur*.

VI. Ludovicus Balbus patri, Papa approbante, ſuccedit; pacem cum Regibus Germaniæ æqvis conditionibus ſancit.

Eo imperante

Boſſo *Burgundiam invadit*. Hugo *in* Gallia tumultuatur. Normanni *in Germaniam expeditionem ſuſcipiunt*.

VII. CAROLUS Crassus Ludovici I. Regis Germaniæ frater, Regnum Longobardorum occupat, *Godefrido Normanno* Friſiam cum Lotharii filia dat,

dat, Italiam pacat, conſpirationem contra Carolomanni filium ſedat.

Eo regnante

Baſilius Macedo *ſpeciem filii defuncti, ut viventis, videt*, Saraceni *Syracuſas evertunt, & Capuam obtinent.* Normanni *in Gallia & Belgio tumultuantur;* In illa *etiam inclinatur* familia Carolina *per* Ottonis *tutelam.* Formoſus Epiſcopus *ob liberiorem vitiorum ſedis Apoſtolicæ reprehenſionem in carcerem conjicitur.* Pontifices *ſe poteſtati ſeculari planè eximere incipiunt.*

VIII. ARNULPHUS turbulentiſſimum imperium accipit, Normannos coërcet, Guidonem, qvi Berengarium ejecerat, ex Italia pellit: ab Agiltrude, ipſius conjuge, pharmacum accipit, Sclavos atterit.

Eo imperante

Leo *in Oriente cum Bulgaris & Saracenis rem habet, Beneventum capit. In* Hiſpania *ſit* Abarca *primus Rex* Arragoniæ & Pampelonæ; Alfonſus *ſuum regnum optimè adminiſtrat. In* Gallia *redit* Carolus

rolus VII. *cum prorege* Ottone *in gratiam.* Lescus IV. *tranquillè principatum in Polonia tenet.*

In Ecclesia Romana sedent, *Baronio* teste, homines monstrosi. In *Formoso* Pontificum virtus deficit.

IX. Ludovicus III. Comitem Bambergensem securi percutit; cum Hungaris semper invito Marte congreditur, unde in contemptum incidit.

Eo regnante

In Oriente Muchtaphi Amyra Bagdeti Amyram *Ægyptiorum vincit.* Gallia *quiescit. In* Italia Ludovicus Bossonides *à Berengario excœcatur.* Lambertus *Guidonis filius pro Imperatore se gerit.* Romæ *verò Theodora, sortum impudens imperat.* Anglia *tota ad* Eduardum, *Northumbria excepta, pervenit.* Calecutum *in India exstruitur.* Romæ *sedet* Sergius *III. homo sceleratissimus.*

X. CUNRADUS Hungaros attrivit, cum principibus sibi infensis variâ fortunâ certavit. Henricum hostem suum ad imperium commendavit.

Eo

Eo imperante

In *Oriente* Constantinus, *auspiciis* Zoæ matris, *Bulgaros ab obsidione Constantinopoleos repellit, Saracenos in Italia profligat.* In Hispania Almansor *ingenti prælio à* Ranimiro *vincitur.* Carolus Simplex Rex Galliæ, *Lotharingiam occupat.* In Anglia Normanni *fœdus cum* Scotis *faciunt. In* Polonia Ziemomisso *filius cœcus nascitur.* Romæ provehit *Theodora* Scortum *Johannem* amasium suum ad Pontificatum.

ARTICULUS II.

De Imperatoribus ex familia Saxonum.

(Ad ann. M, 4972. Christi 1023.)

HI fuêre ex Francis Imperatores: ex Saxonibus sunt 1. *Henricus Auceps.* 2. *Otto Magnus.* 3. *Otto II.* 4. *Otto III.* 5. *Henricus II. seu Sanctus.*

I. HENRICUS AUCEPS æmulos suos coërcet, ab Hungaris inducias primò novem annorum exprimit, post eosdem fundit, Bohemiam imperio tribu-

tariam facit; Vandalos cædit, Misenam condit.

Eo imperante

In Oriente Romanos *Melinam Saracenis eripit* Constantinus VII. *Cretam infeliciter tentat.* Turcæ *Constantinopolim obsident. In* Hispania Ordonius *Legionem aulam transfert, & Saracenos ex Gallæcia ejicit.* Alfonsus & Ranimirus *fratres contendunt;* Abderamen *Cantabriæ partem occupat.* Italiæ *regnum* Hugo Comes Arelatensis *obtinet, urbem Scorto illi relinqvere cogitur. In* Gallia *dat turbas novi Regis,* Carolo simplice *derelicto,* electio: *In* Anglia *fugat* Adelstanus *Danos,* Scotis *Cumbriam & Westmerlandiam adimit. In* Bohemia Boleslaus *Wenceslaum ob Christianismum interficit.* Romæ sedet Sergii Pontificis ex *Merozia* Scorto filius. Episcopi Græciæ pallia à Romanis Pontificibus redimere desinunt: pueris beneficia Ecclesiastica conferri incipiunt. In *Erfurtina Synodo* celebratio natalium dierum omnium Apostolorum instituitur.

II.

II. OTTO MAGNUS principes & fratrem suum, in se insurgentes, felicissimè reprimit, Daniæ Regem *Haraldum* devincit, *Boleslaum Bohemum* ad Christianismum adigit, *Ludovicum transmarinum* regno Galliæ restituit, Lotharingiam occupat, Belgas & Burgundos imperio adjicit, in Italia *Berengarium* & Pontificem coërcet.

Eo imperante

In Oriente Romanus *Cretam à Saracenis recipit.* Nicephorus *magnam Asiæ & Syriæ partem cum Metropoli Antiochia,* Cimisces *eosdem cum Bulgaris vincit. In* Hispania *fortunam Hispanorum in prælio cum comite* Castellæ *inclinat Albaca. In* Anglia Eldredus *innocentiæ favet; sub* Edunio *lupi exstirpari incipiunt.* Bohemus *fit imperii Vasallus. In* Polonia Miecislaus *Christo nomen dat.* Dambrouca *ei à* Persteinio, *cui ortum illustrissima* Leszciniorum *familia debet, adducitur. Daniæ Rex* Sveno *ab* Erico Svenone *in exilium pellitur. Beraldus Moriennæ Dominus*, à qvo Sabaudiæ Ducum familia floret.

Qvantum ad Ecclesiam, *Theophylactus* Patriarcha Constantinopolitanus eqvos bis mille alit. Ungari & Dani Christo nomen dant. *Johannes* pessimè Romæ sedet. Campanæ baptizari incipiunt.

III. Otto *II.* Henricum imperium sibi invidentem coërcet. Aqvisgrani à Gallo & Burgundo ferè opprimitur, Lotharingiam inter Carolum, Coloniensem & Leodiensem Episcopos, tanqvam beneficium imperii nil obstante Gallo dividit. *Nivellas, Lovanium, Antverpiam, Marchionatus facit.* Contra Græcos in Italia non satis feliciter pugnat.

Eo imperante

In Oriente Basilius *Scelrum & Bardam rebelles coërcet, Saracenos domat, à Bulgaris fugatur. In* Hispania *est inter* Ranimirum & Veremundum *bellum.* Almansor Hissemi *tutor qvinqvagies bis expeditionem in Christianos suscipit. In* Anglia *tollitur* Eduardus. Heraldus Danus *de obligatione, qvâ Imperium cum Ottone transigit.* Romæ *Bonifacius VII.* parricida

cida urbe pellitur, redux Johannem XIV. fame necat. *Synodus* contra Dunstanum in Anglia miserum eventum sortitur, *Villigisus* plaustrarii filius, fit Moguntinus Archiepiscopus.

IV. Otto *III.* Bohemos compescit, Crescentium rebellem Romæ punit: ut penes solos Germanos jus eligendi Imperatorem esset, decernit: veneno enecatur.

Eo imperante

In Oriente *vincit Bulgaros* Basilius. *In* Hispania *Saraceni Gallæciam vastant & profligantur. In* Gallia *devenit regnum ad* Hugonem Capetum. Veneti *Dalmatiæ tractum circa mare cum Insulis finitimis ab Istria ad extremos Illyrici fines possident. In* Anglia Ethelredus *cum* Richardo Normanno *contendit.* Dari *Stadensem urbem capiunt. In* Scotia *occiditur miro stratagemate* Kennethus *II. In* Polonia *salutatur* Boleslaus *ab Ottone Rex. In* Hungaria *recipit* Stephanus *Christianismum. In* Hollandia *trucidatur* Dux Arnulphus *à Frisonibus.* Romæ dejicitur sede *Gregorius* V.

V. Hen-

V. HENRICUS turbas à Balduino Flandriæ Comite, Bernhardo Saxone, Bohemis, Polonis & Vandalis motas, sedat; Arduinum pro Imperatore se venditantem compescit: Saracenis & Græcis Italiam adimit Normannis concedit.

Eo imperante

In Oriente *Basilius* Bulgariam *totam imperio suo adjicit.* Calipha Ægypti *templum Hierosolymis evertit. In* Hispania *inclinat* Maurorum *fortuna*, & Alphonsus V. *Legionem recuperat. In* Gallia *Robertus piè regnat. In* Anglia *devenit Majestas regni ad* Danos. *In* Scotia *æquisimè regnat* Milcolumbus II. *In* Polonia *multa contra Russos, Bohemos, Saxones & Borussos agit Boleslaus. Fridericus* Hollandiæ Comes *Episcopum Ultrajectinum vincit, à Frisiis vincitur.* Romæ *facit Sylvester II. pactum cum Diabolo. Synodi Gallicæ multa statuunt.* Neomagensis, *ut in celebratione Missæ panis ad altaris dextram, calix ad sinistram statuatur, decernit.*

AR-

ARTICULUS III.

De Imperatoribus ex Franconica familia.

(*Ad ann. M.* 5087 *Christi* 1138.)

SAxonicam familiam excipit in Imperio Franconica. Ex ea verò 1. *Cunradus II. Saliqvus* 2. *Henricus III. Niger* 3. *Henricus IV.* 4. *Henricus V.* qvibus Lotharius annumerari potest, Imperatores fuêre.

I. CUNRADUS II. Saliqvus Ticinenses in ordinem cogit, cum *Stephano* Ungariæ Rege bellum gerit, & componit, *Burgundiam* sub nomine *regni Arelatenses* imperio adjicit. Italiam pacat.

Eo imperante

In Oriente *Constantinus deses feliciter rem per Duces contra Bossinos & Saracenos gerit.* Romanus *ab eis castris exuitur.* Michaël *Siciliam sibi propemodum subjugat.* Calipha Ægyptius *tricennales cum eo inducias pangit.* Turci *à Muchumete Principe Persidis evocati.* Tagrolipicen *Ducem, occiso Muchumete, universæ Per-*

Persiæ Regem faciunt, & Babylonem occupant. In Hispania *Ferdinandus Vasconiæ, Cantabriæ, Castellæ, Suprarbæ & Arragoniæ imperat. In* Gallia *Roberti regis filii bello civili inter se digladiantur.* Anglia & Norvegia *Danis iterum eripiuntur. In* Scotia *Donaldus Suinum Danum variis præliis fatigat. In* Polonia *post Miecislaum primò egregium, post facilem, interregnũ est. Tractui Polocensi Masoviæ nomen imponitur. In* Ungaria *instituitur à* Petro *tyrannis.*

Qvantum ad Ecclesiam, *Berengarius* de Sacramento, alii de jurisdictione Abbatum & Episcoporum, nonnulli de *Martiali* disqvirunt.

II. Henricus *III.* Niger Urbanum Hungariæ Anti-Regem vincit: cum Godefredo, Gozelonis Ducis Lotharingiæ filio, bellum gerit: In Italia omnia componit, Flandriam vastat, exercitum contra Lutitios missum amittit.

Eo imperante

In Oriente *Calaphates excœcatur, Constantinus Monomacho Turcas & Pazinacas vincit, Michaël Stratiota à Comneno dejicitur.*

citur. *In* Perside *Turcarum Sultanus fratrem Cutlumusum fugat. In* Africa Abul Texifius *Tingitani regni administrationem suscipit, sedem imperii Agmeti figit. In* Hispania *Ferdinandus Portugalliam Mauris eripit, & imperatoris nomen sumit. In* Italia *Nortmanni Apuliam retinet, Godefridus Lotharingus Marcam occupat. In* Anglia *Eduardus III. regnum piè & justè administrat. In* Scotia *Milkolumbus dignitatum nomina instituit. In* Polonia *Casimirus Maslaum Mazoviæ invasorem opprimere conatur. In* Bohemia *Prenzlaus fit imperii tributarius. Spigneus Germanos pellit. In* Hungaria *Petrus ab Andrea suo propinquo excœcatur. In* Dania *Sveno à Magno Norvegiæ Rege pellitur. In* Hollandia *Theodoricus Comes cum Colonienſi bellum gerit.* Romæ tres simul Papæ insultant sedi. *Græci* Clericorum conjugia asserunt. Inter Archiepiscopum Moguntinum & Papam rixæ in missa oriuntur. Ordo *Monachorum Vallis Umbrosæ* instituitur. Ritus *flagellantium* incipit.

III.

III. HENRICUS IV. à Sacerdotibus educatur, Saxones semel in deditionem acceptos contra se iterum concitat, à Pontifice citatus miserrimè tractatur, sed eum coërcet: Anti-Cæsares contra se electos opprimit, à filio Henrico impiè deponitur.

Eo imperante

In Oriente *Comnenus dat pacem Bossinis, Constantinus Ducas pecuniam corradit; Romanus Diogenes à Turcis capitur, Michael Ducas incuriosus rerum est, Nicephorus Botoniates conjuratione Comnenorum opprimitur. Alexius Comnenus à Normannis urgetur. Argonautas impedit.* Turci *Turcomanniæ regnum versus Pontum erigunt. Cutlumuses Græcorum ditiones sui juris facit. In* Gallia *decernitur bellum sacrum sub Philippo: Et traductis in Palæstinam & Syriam militibus, Solymanni Cutlumusæ filii exercitus cæditur, Antiochia, Hierosolyma, Ptolomais, &c. capiuntur.* Godefridus Bullionæus *Rex Hierosolymarum creatur. In* Hispaniâ *Alphonsus* II. *Toleti sedem figit.*

In

In Anglia *defertur regnum ad Normannos: primus est Gvilelmus Conquæstor Haroldus Norvegiorum Rex* Islandiam *sibi subjicit.* Scoti *Angliam vastant. In* Polonia *Boleslaus Audax Russiam vectigalem facit, Uladislaus Hermannus bellum civile constat,* Bohemiæ *Dux Vratislaus Rex ab Henrico salutatur & Moraviam conjungit: Theodoricus Comicellus* Hollandiam *recuperat.*

Qvantum ad Ecclesiam, *Gregorius* cælibatum Sacerdotum urget, Hispaniam & Sardiniam feudum suum dicit; Concilium Mantuanum Imperatori potestatem eligendi Pontificem abrogat. *Livonia* Christianismum recipit.

IV. HENRICUS V. à Boleslao Poloniæ Rege vincitur, à Pontifice Paschali II. excommunicatur, Saxonibus rebellibus magna damna infert, de jure Clericos investiendi Pontifici invito cedit.

Eo imperante

In Oriente *Alexius mores suos corrigit. Calojohannes Scythas vincit. Principa-*

tus

tus Antiochiæ regno Hierosolymitano subjicitur. Balduinus Rex cum Saracenis & Turcis varia fortuna tum ante captivitatem, tum post, confligit; Princeps Damasci cum eo societatem jungit. In Hispania Alphonsus ultimum Maurorum Regem occidit, fit initium Regni Portugallici sub Alphonso. In Gallia Ludovicus Crassus cum Anglo inimicitias summas exercet. In Anglia Regnum à Normannis ad Francos Blesenses Comites transfertur. In Scotia David effusis in Episcopatus proventibus, ad inopiam redigitur. In Polonia Bolelaus prælia sua feliciter conficit. In Bohemia Uladislao Borivojo rebelli oculos eripit. In Hollandia Florentii Comitis vidua tumultuatur. In Ungaria Colomannus cum Almo fratre in gratiam redit. Comitatus de Marca & de Monte instituitur.

Qvantum ad Ecclesiam, Templariorum ordo instituitur. In Concilio Anglico Cælibatus Sacerdotum confirmatur.

V. Lotharius Saxo Svevos, imperium sibi vendicantes, coërcet:

&

& in gratiam recipit, Apuliam, & Calabriam occupat, legum Romanarum studium mandat, Pisanis Pandectarum Volumen à Justiniano conditum donat.

Eo imperante

In Oriente *Calojohannes contra Argonautas multa tentat. Contra Mahumetem bella gerit* Sangvinus, *Turcarum princeps, eosdem dissipat.* Fulco *Rex* Cæsaream *Philippi Turcis eripit. In* Hispania *Arragoniæ & Vasconum Rex Ranimirus, Alphonsi pugnacis filius non satis felicia regni initia habet. Alphonsus* Castellæ & Legionis *Rex jussu Pontificis Imperator proclamatur. In* Italia *Rogerius Rex Siciliæ variis adversitatibus jactatur. In* Gallia *Ludovicus junior imperat. In* Anglia *Stephanus Rex cum Duce. Andagavensi bellum gerit. David* Scorum *Rex Angliam vastat, victus ejicitur. In* Polonia *Boleslaus in bello Russico inferiores fert cum 47. secundo Marte confeciſſet prælia. Sobieslaus* Bohemus *Silesios infestat. Theodoricus Comes* Hollandiæ *Frisiam vastat. Canutus Dux Slesvicensis fit Rex* Vandalorum

lorum. *Abdal Mumen ex Ludimagistro Pontifex & Imperator in* Africa *creatur.* Romæ inter *Innocentium & Anacletum* est Schisma. In *Synodo Lateranensi* prohibetur, ne monachi regulares sint simul Causidici aut Medici. *Bernhardus 160.* Monasteriorum autor viget.

ARTICULUS IV.

De Imperatoribus ex Svevica familia.

(Ad ann. M. 5200. Christi 1251.)

IMperatores Francones Svevi insecuti sunt, nempe *1. Cunradus III. 2. Fridericus Barbarossa. 3. Henricus VI. 4. Philippus. 5. Otto IV. 6. Fridericus II.*

CUNRADUS III. HENRICUM SUPERBUM imperium sibi asserentem proscribit, fratrem ejus in prælio occidit, in Palæstinam expeditionem init. Italiam pacare conatur.

Eo imperante

In Oriente *Manuel Imperator Cunradum*

dum prodit. Iconium fruſtra obſidetur. Sanguini ſucceſſor Noradinus *Antiochiam obſidet, & Raimundum trucidat. In* Hiſpania *Alphonſus Luſitanus quinque regulorum ſignis potitur. Ericus Rex* Daniæ *Ullyſiponam expugnat. In* Italia *digladiantur inter ſe civitates & Principes. In* Gallia *Ludovicus junior expeditionem ſacram ſibi perſuadere ſinit. Siciliæ Rex* Rogerius Innocentium *Papam capit,* Corcyram *occupat, relinquit.* Henricus Andegavenſis Leonora, *à Ludovico dimiſſa, in matrimonium ducta, fundamenta exitialis inter* Gallos & Anglos *diſſidii ponit.* In Polonia Uladislaus, *dum in ſubjectos & fratres transverſus à Chriſtina agitur, principatu excidit.* Gerſa II. Ungariæ *Rex* Valphum *contra* Cunradum *juvat.* Brabantini Grimbergenſes *in triduano prælio vincunt.*

Quantum ad Eccleſiam, *Rhemis quidam ſe Chriſtum venditat.* Hildegardis *magnam religionis mutationem futuram prædicit.*

II. FRIDERICUS BARBAROSSA

septem expeditiones in Italiam suscipit, in qvarum prima *Spoletum* exscindit; secunda conventum in Lombardia agit: & *Mediolanum* solo æqvat: qvarta *Romam* capit: qvinta *Alexandrum* obsidet: sexta ab Alexandro Papa conculcatur: septima filio suo Regis Siciliæ filiam conciliat, in terra sancta *Iconium capit.*

Eo imperante

In Oriente *Constantinopoli* Manuel Sophista *infeliciter omnia suscipit.* Andronicus, *occiso filio ejus Alexio, consanguineos etiam crudeliter habet.* Isaacius Angelus *Siculos victoriâ à* Wilhelmo *eorum* Rege *parta feroces, ad pacem adigit. Ad* Hierosolymitanum regnum *via ex Austrino latere Mahumetanis ab* Almarico *struitur, finis ipsi à* Saladino *imponitur. In* Hispania *defenditur* Alphonsus *qvadrimulus* Castellæ Rex *contra* Ferdinandum Galleciæ & Legionis Regem. Portugalliæ *regnum amplificatur. In* Gallia Ludovicus junior *perfugium Pontificibus largitur.* Philippus Augustus *in terram San-*

Sanctam abit. In Sicilia Wilhelmus Rex *Pontificem capit, expeditionem in Orientem infeliciter suscipit. In* Anglia Henricus Andegavensis *fit Rex.* Richardus *Conomannos & Turones recipit. In* Scotia *seditio felicissimè à* Milcolumbo *sedatur.* Woldemarus Danus *Rugiam*, Ericus Svecus *Finlandios ad Christianismum adigunt. In* Polonia Boleslaus Crispus *bellum contra Prutenos non satis feliciter gerit;* Mieczislaus *proceres contumacia à se abalienat.* Casimirus *contra Belam bella gerit.* Florentius Comes Hollandiæ *cum Episcopo Trajectensi in Orientali Frisia certat.*

Ecclesiam qvod concernit, *Lucius Papa* hæreticum, si fuerit sacris initiatus, primò execrandum, mox igne cremandum decernit; *Petrus Lombardus* excommunicatur: contra *Albigenses* militia instituitur: ideò multi in Bohemiam migrant. Jejunium qvinqvennale à *Gregorio VIII.* constituitur.

III. Henricus VI. Leodinensem Episcopum evertit, Siciliæ regnum sibi per *Constantiam* uxorem debitū & à *Tancredo*

do notho possessum subjugat, mox amittit, in Palæstina res non infeliciter gerit.

Eo imperante

In Oriente Alexius *Fratricida Henricum Imperatorem* Ixx. *talentis placat.* *In* Palæstina Philippus *Gallus* & Richardus *Anglus Ptolomaidis expugnator*, *valedicunt*: *hic etiam Cyprum* Gvidoni Lusiniano *vendit.* *In* Gallia *inter se iidem bellum gerunt.* Aben Josephus *Rex* Marocensis *Hispaniam vastat*, & *Beticam omnem occupat.* Canutus Danus *Adolphum Holsatum pecunia pacem redimere cogit.* *In* Polonia Miecislaus *frustra* Lescum *pellere conatur.* *In* Bohemia *succedit Henrico fratri* Primislaus *exul.* *In* Hollandia Theodoricus *fratrem* Wilhelmum Comitem Hollandiæ *vincit.*

Qvantum ad Ecclesiam, *Celestinus Papa* Henrico se adoranti coronam pede decutit. *Jacobitæ*, novum genus prædicatorum, nil proprii habent, nec de crastino sunt solliciti.

IV. Philippus Svevus in locum fratris succedit. Ottonem Brunsvicen-

censem sibi oppositum edomat, & generum succesforemqve facit, occiditur.

Eo imperante

Constantinopoli Alexius *fratricida ab* Alexio *juniore* & Isaacio *patre pellitur. Græcum Imperium* ad Balduinum Flandrum *Pervenit. In* Palæstina *fit post Almericum interregnum. Tartarorum, qui Magul vocantur, in Asia dominatus, duce* Changio *vel* Chamune *seu* Temuchino, *instituitur. In* Hispania *Alphonsus Castellæ & Petrus Arragoniæ Reges, Sancho Vasconum Rege pulso, regnum inter se dividunt. In* Gallia *recuperavit Philippus Normanniam, Pictaviam, Andegaviam, marcescente in delitiis Johanne* Angliæ Rege, *Canutus Rex* Daniæ *Hamburgum*, Waldemarus *frater ejus Lubecam occupant. In* Polonia *Miecislaus tumultuatur. In* Ungaria *fratres Reges Ungariæ de occupando Andreæ regno decertant. In* Bohemia *Primislaus ita Ottoni adhæsit, ut Inde* Ottocari *nomen acceperit. Theodorus Comes* Hollandiæ *ab Henrico* Brabantiæ Duce capitur.

Qvantum ad Ecclesiam, bellum geritur contra *Albigenses*: *Beginarum* ordo incipit, de corporis Christi in cœna incorruptibilitate à Græcis disputatur.

V. Otto Brunsvicensis sancit, ut insignia Augustalia nemo, nisi *Moguntini*, *Colonienſis*, *Trevirenſis*, *Palatini ad Rhenum*, *Saxonis*, & *Brandeburgenſis* consensu accipiat. Fridericum Henrici filium, dum imperio erepta à Pontifice repetit, hostem accipit; vincitur.

Eo imperante

Constantinopoli *Henricus pacem cum Valachis firmat*, *Petro ſucceſſor à Theodoro Laſcare*, *qui Niceæ Imperator ſalutatus*, *Jatathinem Sultanum Alexii ſocium vincit*, *interficitur*. *In* Hiſpania *bellum contra Mauros conjunctis copiis agitur*. *Ferdinandus* Lusitaniæ *Regis filius fit per uxorem Comes Flandriæ*. *In* Africa *tum Abdulacus familiæ Merinenſis Feſſæ regnum rapit & conſtituit*. *In* Gallia *Philippus contra Comitem Flandriæ expeditionem*, *quæ malè ceſſit*, *inſtituit*. *In* Anglia *Wallia ſubjicitur*, *ipſe Rex Angliæ à Pontifice excom-*

communicatus, beneficiarium se ejus profitetur. *In* Scotia *Gvilelmus Rex ab* Anglo *ad pacem petendam adigitur. In* Polonia *Lescus adhuc rerum potitur. In* Ungaria *Andreas Bela F. vixit. In* Hollandia *capitur Theodoricus Comes à Duce Brabantiæ.*

Qvantum ad Ecclesiam, *Albigenses* persecutionem patiuntur: *Dominicus* Monachus prædicatorum autor moritur. *Franciscanorum* ordo incipit.

VI. Fridericus II. Siciliæ Rex, Jolantam filiam Brennæ *Regis* Hierosolymorum ducit. Gregorium VIII. Papam Rom. feliciter oppugnat. Hierosolymam recipit, & in templo S. Sepulchri coronatur. Innocentium Pontificem Italiâ pellit; veneno tollitur.

Eo imperante

Constantinopoli *Balduinus Roberti filius à Græcis premitur, & in Italiam migrat; Niceæ imperat Johannes Ducas. In* Ægypto *expugnatur Damiata à Christianis, ipsi intercluduntur. Inter* Saracenos *oritur magna confusio. Elmuthane Suldano Ægypti aqva & igne sublato, Turcomanni*

seu Mamluchi, Azeddin Ibico suffecto rerum ibi potiri incipiunt. Turcæ in Palæstina vincuntur. Apud Tartaros Ochtai, Gingiz Chan filius Moschoviam, Russiam & Poloniam vastat, ad Lignitium Henricum Pium ingenti prælio vincit. Otrugarelem Sule Scha Civitatis Machaan in Perside Reguli filium, in Romaniam Asiaticam pellit. Bæbæ Pseudoprophetæ copiæ à Giathedin Rege Iconii internecione delentur. In Hispania Castellæ & Legionis regna, ante 73. annos distracta, sub Ferdinando post Henricum III. uniuntur. In Arragonia Jacob præliator floret. In Italia Guelphi Ecclesiæ libertatem, Gibellini imperii jura se defendere gloriantur. In Gallia Blancha Ludovici mater regnum prudenter administrat, ipse expeditionem sacram suscipit. In Anglia Henricus III. frustra amissa recuperare conatur. In Scotia Alexander II. floret. Woldemarus Danus à Comite Sverinensi capitur. Henricus ab Abele fratre in mari suffocatur. In Polonia Boleslaus Pudicus à Cunrado, fratre Lesci, Masovia Domino pacem habere non

potest;

poteſt: ipſe à Prutenis vexatus fratres Teutonicos in Boruſſiam vocat. In Ungaria *Bela IV. propter Tartaros profugus, dum in regnum revertitur, Fridericum Ducem Auſtriæ tranſitum negantem obtruncat. Florentius* Comes Hollandiæ *in haſtiludiis Claremontenſibus occiditur, & filium Gvilielmum relinqvit.*

Qvantum ad Eccleſiam, *Decretalium* libri promulgantur; *Albigenſes* in fines Bulgarorum Croatiæ, & Dalmatiæ perveniunt. *Corradus* hæreticæ pravitatis inqviſitor ſævit. Græca Eccleſia & vicinæ ab obedientia Pontificis Romani planè recedunt.

ARTICULUS V.

De Imperatoribus ex familiis diverſis, & de interregno.

(*Ad ann. M. 5222. Chriſti 1273.*)

IMperatores ex diverſis familiis fuêre tres. 1. *Henricus* Thuringiæ Landgravius. 2. *Wilhelmus* Hollandiæ Comes. & 3. *Ricardus* Comes Cornubiæ

biæ Henrici Angliæ Regis frater. Verùm isti autoritatem obtinuisse vix dici possunt.

I. Henricus Friderico oppositus anno vertente obiit.

II. Wilhelmus Hollandiæ Comes cum Frisiis & Flandris contendendo nihil rerum publicarum gesit.

III. Richardus Cornubiæ Comes coronam qvidem de manu Præsulis Colonienſis accipit, sed Alphonsum Castellæ Regem Anti-Cæsarem habuit, bello cum Gallis distrahebatur, & sexto post anno mortuus est. Fuit itaqve in Imperio septendecim annorum interregnum, qvo durante, certamina de successionibus in illis familiis, qvæ nuper in Svevia, Austria, Thuringia &c. decesserant inter Principes vigebant.

Imperio ita distracto

In Oriente *Michaël Palæologus De spotæ ornatus titulo pupillum Johannem Theodori Lascaris junioris filium occidit, Constantinopoli capta Balduinum fugat, & Gallico ibi imperio finem imponit. Hugo*

Rex

Rex Cypri *Rex* Hierosolymarum *creatur. Apud* Tartaros *Vlau Cham Rex Irak capta Bagded Calipharum imperium exscindit; Iconiẽsi regno, fucato Giassadine II. duos ex regia Selgiucciorum stirpe imponit. In* Hispania *Alphonsus Castellæ Rex domi invidia æstuat. Jacob* Arragonum *expeditionem in Syria infeliciter suscipit. In* Sicilia & Italia *crudelissimè Sangvis Suevus à Carolo Andegavensi deletur. In* Gallia *Divus Ludovicus in Africa Carthaginẽ expugnat; Philippus filius post eum laudabiliter imperat. In* Anglia *Henricus III à Baronibus capitur. In* Scotia *Alexander III. ipsius gener Achonem Regẽ Norvegiæ vincit. In* Polonia *Boleslaus per Palatinum Cracoviensem Russos & Tartaros trucidat. Ordo* Gladiferorũ *ex* Livonia *jungit se ordini* Cruciferorum *in Borussia. Ottocarus* Bohemus *Austriam ad se pertrahit, Prutenos vincit: in Ungariam impressionẽ facit. Stephanus* Ungarus *Moraviam & Austriam invadit. In* Hollandia *seditio à plebe excitatur. In* Ecclesia *flagellantium* ordo *instituitur, festũ corporis Christi decerni-*

tur, & in *Concilio Lugdunensi* Ceremoniæ in electione Pontificis observandæ promulgantur.

MEMBRUM II.

De Imperatoribus post interregnum.

ARTICULUS I.

De Imperatoribus ex Austriaca familia & aliis sumptis.

(*Ad ann. M. 5386. Christi 1437.*)

IMperatores ante Interregnum vidimus, ita ut tribus illis particular*ibus* familiis unus alterius familiæ adhæserit: jam, qvinam post interregnum fuerint, videamus. Dividuntur verò isti in Imperatores *ex Austriaca domo & aliis* sumptos, & *in eosdem ex solis Austriacis* electos. Ad illos refertur 1. *Rudolphus* Habspurgicus 2. *Adolphus* Nassovius. 3. *Albertus* Austriacus 4. *Henricus VII.* Lucelburgicus 5. *Ludovicus II.* Bavarus. 6. *Carolus IV.* 7. *Venceslaus* F. 8. *Ru-*

8. *Rupertus* Palatinus. 9. *Jodocus* Marchio Moraviæ. 10. *Sigismundus I.*

I. RUDOLPHUS HABSPURGICUS Marchionem Badenſem coërcet, *Ottocarum* acie victum interficit, Thuringiam pacare conatur, diſtributione provinciarum animos procerum à ſe abalienat, Italiam planè ab Imperio avellit.

Eo imperante

Conſtantinopoli *Michaël ſe contra Venetos defendit, malâ gratiam unione ſuarum Eccleſiarum cum Latinis apud Græcos init.* Hieroſolymitanum *regnum Carolo Siciliæ Regi defertur. Suldanus* Babyloniæ *â Tartaris vincitur.* Tangador Cham *Chriſtianis eſt infenſus, ſed Argon ejus ſucceſſor ipſis favet. In* Hiſpania *geritur bellum inter Philippum Pulchrum & Sanctium. Dionyſius* Rex Portugalliæ *liberalis eſt. In* Gallia *decerpit Philippus regnum Navarenum de* Hiſpania. *In* Sicilia *veſperis Siculis peractis, Petrus Jacobi præliatoris filius pedem in Siciliam infert. Eduardus* Anglus *Normanniam & Aquitaniam invadit. In* Polonia *Le-*

ſcus

seus Niger contra Lithuanos benè rem gerit, post ejus mortem interregnum fuit. In Bohemia Venceslaus Ottocaro patri succedit. In Ungaria regnat Ludovicus IV. Florentius Comes Hollandiæ variâ fortuna cum Frisiis bellum gerit.

Qvantum ad Ecclesiam, Romæ fit contentio de Papatu post Nicolai III. mortem. Martinus Papa Romanus decimas à Clero exigit. Honorius V. qvartam partem redituum Ecclesiasticorum ex Germania vult.

II. Adolphus Nassovius inimicitias cum Palatino exercet, conduci se stipendio ab Eduardo Anglo patitur, Thuringiam ab illegitimo Domino emit, & vastat; cum Alberto bellum gerit.

Eo imperante

In Asia Syria tota à Serapho Sultano Babylonio, occupatur. Othmen Otrugarelis filius ex gente Selgiuciorum Rex Carmaniæ ab Aladine Sultano Iconiensi factus, Ottomannicæ familiæ fundamenta ponit. In Hispania Sanctius Rex Castellæ Mauris Tarte ssum eripit, Jacobus Arragoniæ Rex

cum

cum Siciliæ Rege de Sicilia certat. In Gallia Philippus Pulcher Flandriam occupat. Eduardus Anglus Flandriæ Comitem infeliciter ex carcere liberare conatur. In Scotia devenit Regnum post magnas dissensiones ad Johannem Balliolum. In Polonia Premislaus nomen regium à majoribus per ducentos annos intermissum repetit. In Bohemia Barones Wenceslao Regi rebellant. In Hollandia Comes feliciter contra Episcopum Trajectensem pugnat.

Ecclesiam qvod spectat, Celestinus V. Bonifacio VIII. Homini furioso cedit: Hic fatuus à Philippo Pulchro appellatur. Maria Lauretana in Italiam migrasse traditur.

III. Albertus Austriacus assentatione benedictionem imperialem à Pontifice extorqvet, Bohemiæ regno post cædem Rudolphi filii frustra inhiat, Misniæ Ducatum ad se rapere conatur, occiditur.

Eo imperante

In Asia *Gazan Cham Saracenos domat. Ottomen vicinam Asiam minorem occupat.*

pat. Constantinopolitani eam pro derelicta habent. Hospitalarii Rhodum Insulam aggrediuntur. In Italia *eligunt sibi præcipuæ urbes suos præfectos, Verone Scaligeros, Mantua Passerinos, Patavium Carrarienses. In* Gallia *redditur Eduardo Aquitania. In* Flandria *Gallis res malè cedunt. In* Scotia *resistitur Eduardo, Ductore Valla, & Robertus Brussius Rex eligitur. In* Polonia *Uladislaus Locticus Gedanum amittit. In* Bohemia *Wenceslaus Rex Bohemiæ & Poloniæ primus grossos Bohemicos cudit. In* Ungaria *post Wenceslaum regnat Otto Dux Bavariæ, sed carceri à Transylvano incluſus, renunciare cogitur. In* Hollandiâ *pervenit Comitatus ad Comites Hannonienses. Helvetiorum pagi tres fœdus inter se faciunt.*

Quantum ad Eccleſiam, Bonifacius VIII. jubilæum annum inſtituit, ipſe in Synodo Pariſienſi damnatur; poſt eum Benedicto XI. mortuo, undecim menſes vacat: ſedes *Fratricelli* in Lombardia Papæ contradicunt.

IV. Henricus VII. Lucelburgicus Co-

Comitem Virteburgenſem coërcet; Bohemiam, poſtqvam jure ejus Fridericus Auſtrius ceſſerat, Iohanni filio deſpondet; Luſatiam ei adjungit. Bellum Thuringiacum componit, Italos & ex his Florentinos præcipuè coërcet, veneno tollitur.

Eo imperante

Conſtantinopoli *Andronicus fratrem carcere perdit.* Othmen *ſeptem regulos æmulos ſuos domat. In* Hiſpania *Ferdinandq Caſtellanus fratres duos capitis damnat. Bruſſius* Scotiæ *Rex Anglos tota Scotia pellit. In* Polonia *defertur regnum ad Uladislaum. In* Ungaria *Carolus Neapolitanus regnat.* Helvetiorum *fœdus firmatur.*

Qvantum ad Eccleſiam, Clementinæ abſolvuntur, ſedes Roma Avenionem à Clemente transportatur. In *Concilio Viennenſi* expeditio in terram Sanctam ſancitur, *Templarii* univerſi uno die delentur.

V. Ludovicus Bavarus Fridericum Pulchrum ſibi oppoſitum capit, Helvetiorum fœdus confirmat, invito Papa

in

in Italia coronatur; in Concilio Francofurtano potestatem politicam contra Papam defendit; excommunicatur.

Eo imperante

Constantinopoli *compellit Andronicus Junior avum suum Andronicum in Monasterium.* Trapezuntinum *Imperium, quod per annuos præfectos administrabatur, incipit Orchan* Othmenis *filius Prusam, Niceam & Nicomediam expugnat. In* Hispania *Alphonsus XI. Mauros devincit, Algezíram in Africa capit.* Lusitanus *rerum suarum satagit;* Arragonius *Balearium regem ex paterno imperio ejicit. In* Gallia *defertur dignitas ad Philippum Valesii Comitem, Catholicum dictum. Hic ab* Eduardo III. *ingenti prælio vincitur. In* Dania *pellitur Christophorus II. in exilium, sed iterum reducitur. Magnus Rex* Sveciæ *Scaniam occupat. In* Scotia *finitur bellum per annos triginta gestum. In* Polonia *Cruciferi ab Uladislao Loctico vincuntur. Gasimirus I. Russiam in provinciæ formam redigit. Johannes* Bohemus *Silesiæ Duces pro feudatariis recipit. In* Hungaria

post

Post Carolum fuit Ludovicus. In Hollandia *Wilhelmus Comes Flandriæ Comitem contra Gallum juvat, & Trajectensibus bellum infert.*

Qvantum ad Ecclesiam, concordia cum Orientalibus frustrà tentatur. Johannes XXII. ingentes thesauros relinqvit. Multi contra Pontificem scribunt.

IV. Carolus IV. à Pontifice electus ab Electoribus rejicitur, æmulum suum Comitem Svvarzburgensem tollit. Galeacios Mediolani Vice-Comites per Lombardiam vicarios facit, auream bullam condit, multa de Imperii patrimonio detrahit.

Eo imperante

Constantinopoli *Johannes Palæologus cum Johanne Cantacuzeno de Imperio contendit, Amurathi tributũ promittit.* Turcæ *interim Duce Suleimane Orchanis F. Helle spontum trajiciunt, duce Amurathe Fr. Adrianopolin capiũt. Tum Genizari legi ex Christianis cœpere. In* Hispania *Petrus Crudelis regno excidit, qvod Henricus Nothus occupat. In* Gallia *Philippus Valesius*

Del-

Delphinatum acqvirit, Johannes ab Anglis capitur. Carolus V. *omnia recuperat. In* Anglia *ab Eduardo decernitur, ut Judices in judiciis Anglicâ lingvâ utantur. In* Moscovia *Demetrius Tartaris infeliciter resistit. In* Dania *Valdemarus IV. cum Svecis bellum gerit. In* Svecia *Albertus Megapolitanus, qvi Magnum Norvegiæ Regem capit, in Erici locum substituitur. In* Polonia *Casimirus M. floret, & post ejus mortem regnum ad Ludovicum Ungarum transit, qvi Moldaviam transalpinam in fide continuit. In* Hollandia *factiones Asellata & Hamata vigent.* Hanseaticæ *civitates fœdus ineunt.*

In Ecclesia Jubilæus ad annos qvinqvaginta reducitur. Gregorius Papa Romam Avenione redit, Schisma sub Clemente VI. oritur, qvod qvadraginta annos durat.

VII. Wenceslaus Caroli F. princeps, homini nihil simile habens præter speciem, impuritatem primò, mox crudelitatem sectatur, captus in carcerem bis conjicitur, bis ex eodem evadit

dit. Bohemiam recipit, imperium ipsi abrogatur.

Eo imperante

Constantinopoli *Emanuel consensu Bajazetis Turcæ, sed nimis carè empto, Andronicum exturbat.* Apud Turcos *Amurathes civitates multas in confinibus Thraciæ, Mesopotamiæ & Thessaliæ capit. Bajazetes verò Constantinopolin non omninò frustra obsidet, Themir Cham* Scytha *Bajazetem vincit.* *In* Hispania *Petrus Aragonius Ceremoniosus vivit, Johannes ejus filius vanis rebus oblectatur.* *In* Italia *Carolus VI. prodigus, crudelis & insanus audit.* *In* Sicilia *bellum inter Ludovicum Andegavensem & Carolum Ungarum.* *In* Anglia *Richardus II. ab Henrico Lancastrio captus in carcere moritur.* Scoti *ter cum Anglis prælio contendunt, duce Roberto Rege.* *In* Dania *Margaretha Albertum Svecorum regem capit, & ut duo ista regna cum Norvegia ab uno regerentur, decernitur.* *In* Polonia *unitur Lithuania Poloniæ per Jagellonem, qui Vladis-*

ladislaus postea dicitur. Ad hunc Doraſtajorum familia refertur. In Ungaria *Sigismundus in* Regem *coronatur. In* Hollandia *Wilhelmus Alberti filius cum* Patre *Friſiam domat.*

Quantum ad Eccleſiam, Jubilæus ab Urbano ad 30. annum contrahitur. Feſtum conceptionis Mariæ inſtituitur. Huſſi doctrina viget. Albatorum mirabilis ſecta exoritur.

VIII. Rupertus Palatinus in Italiam contendens, à Galeacio repellitur, à Venetio decipitur.

Eo Imperante

In Oriente *Solyman Bajazetis F. fratrem Muſam perſequitur, ſed vincitur. In* Hiſpania *Martinus Rex Arragoniæ regna Siciliæ & Sardiniæ cum ſuo conjungit. In* Gallia *in Parlamento decernitur, ne annatæ & provinciæ proventuum Eccleſiaſticorum è regno Galliæ exportentur. In* Italia *totum jus Venetis, Florentinis, & Genuenſibus, bellum vicinis facientibus, conſiſtit. Uladislaus* Apuliæ Rex *Româ infeliciter potitur. In* Scotia *ſuccedit Roberto Jacobus. Si-*

Sigismundus Ungariæ Rex *à Turcis magna clade afficitur. In* Hollandia *Wilhelmus Comes Johannem de Arkel ditione tota pellit.*

In Ecclesia Innocentius VII. appellatus de Schismate in multos sævit. Gregorio pasqvillus affigitur. Johannes XXIII. meretricum vectigal Bononiæ sumit.

IX. JODOCUS MARCHIO Moraviæ qvinqve mensibus præest, status imperii Imperatori ipsi resistere posse, si contra ordinationes Imperii fecerit decernit.

X. SIGISMUNDUS Schisma in Ecclesia Romana exortum componere conatur. Bellum Husiticum infelicissimè gerit, Concilio Basileensi interest.

His imperantibus

In Oriente *Amurathes seu Morad II. Mechmedi successor intra tres annos omnia à Temire avo suo erepta recipit. In* Hispania *Alphonsus V. Arragonio adoptione Johannæ Neapolitanæ Neapolitano regno potitur, & ad Ferdinandum Nothum transmittit. In* Lusitania *Johanni II. sub tutela existente,*

magnæ

magnæ turbæ dantur. Tum temporis Madera Insula inventa, via ad novum orbem aperta est. In Gallia bellum inter Aureliani & Burgundiæ Duces multorum malorum causa est. Henricus V. Rector Franciæ cognominatur. Unde Carolus VII. sexti successor multum in ingressu regni laborat. Jacobus Scotiæ Rex, persoluta ingenti pecunia, ex Anglia dimittitur. In Dania adoptatur Ericus X. à Margaretha, sed deposita dignitate successorem habet Christophorum Bavarum ex sorore Nepotem. In Hollandia Jacobi Wilhelmi hæres multiplicitate nuptiarū turbas dat: succedit ipsi Philippus Burgundus, qui Philippo, Brabantiæ Duce sine liberis mortuo, Ducatum etiam illum possidet. Lusitaniarum Regis filia ducta, aurei Velleris ordinem instituit. In Polonia Uladislaus Jagello Moldaviæ Palatinum in fidem accipit, Cruciferos coërcet. Uladislaus ejus filius jus Russicæ & Polonicæ Nobilitatis exæquat.

Ecclesiam qvod spectat, Hussus cum Hieronymo Pragensi, qvod in potestatem Pon-

Pontificis inqvirerent, *Constantiæ* cremantur: *Pragmatica Sanctio* in Concilio Basilienſi promulgatur. Tum *bombardæ* inventæ, & Zigeuni in Germania innoteſcunt.

ARTICULUS II.

De Imperatoribus ex Auſtriaca familia ſumptis.

(Ad ann. M. 5582. Chriſti 1633.)

IMperatores ex Auſtriacis ad hunc usqve diem undecim fuêre. 1. *Albertus Junior.* 2. *Fridericus III.* 3. *Maximilianus I. F.* 4. *Carolus V.* 5. *Ferdinandus Fr.* 6. *Maximilianus II.* 7. *Rudolphus II.* 8. *Matthias.* 9. *Ferdinandus* II. 10. *Ferdinandus* III. 11. *Leopoldus.*

I. Albertus Junior Amurathem ab obſidione Albæ Græcæ depulit. Bohemicam coronam etiam accepit.

II. Fridericus III. in initiis imperii bello à Fratre exagitatur, Schiſma inter Eugenium & Nicolaum

tollit; *Lombardiæ* Rex creatur, sed jus ejus, ut & regnum Ungariæ, dimittit: à Carolo Burgundo pacem, & pro filio unicam filiam ejus impetrat. *Raphaëlem Lescinium* titulo *sacri Romani Imperii comitis ornat.*

His imperantibus

In Oriente *Amurathes infelicissimè cum* Scanderbego *bellum gerit.* Mahometes *Constantinopolin & Trapezuntem &c. expugnat.* Usum Cassanem *Persam vincit. In* Africa *occupavit Fessæ regnum* Saidus, *ex quo Oatazeni, Reges dicti, orti sunt. In* Hispania *regnum Castellæ per Johannam, Henrici V. filiam, ad Arragonium devenit, qui regnum Granatense exscindit. In* Lusitania *successit Emanuel Johannis II. patruelis. In* Italia *devenit ducatus Mediolanensis ad* Sfortiam, *qui Blancæ ex nobili Philippi Ducis pellice natæ maritus miles mercenarius. In* Gallia *Carolus* VII. *universa Gallia Anglos excludit.* Ludovicus VII. *acre & versatile ingenium in omnibus ostendit.* Carolus VIII. *raptu Annæ Britannicæ, fundamenta odii inter*

ter domum Burgundicam & Francicam ponit. In Anglia Richardus ope Gallorum, ab Henrico VII. Richemundano regno pellitur. In Dania succesſit poſt Ducem Sleſvicenſem Chriſtiano Comes Oldeburgenſis qui lites cum Holſatis ſopivit. In Polonia, Uladislao ad Varnam occiſo, Caſimirus F. ſubſtituitur. Confœderatio in Boruſſia contra Cruciferos inſtituitur. In Bohemia Podebracius Huſſitis favet, mortuo Ladislaus Caſimiri Filius ſuccedit. Is etiam Ungariæ regnum poſt Matthiam Corvinum occupat. Burgundiam Maximilianus nomine filii Philippi adminiſtrat. Ars typographica invenitur.

Qvantum ad Eccleſiam, Jubilæus annus ex decreto Nicolai Papæ celebratur. Concilia Piſis & Florentiæ inſtituuntur. Paulus II. coccinea veſte Cardinales inſignit: Jubilæum annum ad 25. annum reſtringit. Multi in luxum Clericorum invehuntur. Huſſitæ & cum iis Podebracius vexantur.

III. Maximilianus I. controver-

siam Ducum Bavariæ egregiè sopit, cum Venetis bellum felicissimè gerit, à Borbonio Gallo ex Mediolanensi agro fugatur, turbas de religione exortas sedare conatur.

Eo imperante

In Oriente Bajazetes *Methonem capit.* Selymus *filius extinctis fratribus* Mammeluchorum *in Ægypto imperium evertit, Syriam omnem in potestatem suam redigit. In* Africa *Scirifius Hascenes occasionem parandæ potentiæ rapit.* Hispania, *occupatis Hispaniola, Brasilia & multis Indiæ Orientalis locis potentiâ aucta est. Ferdinandus* Navarræ *regnum Johanni Labretano eripit. In* Gallia *Carolus VIII. Neapolitanum regnum occupat, mox amittit.* Ludovicus Valesius *Mediolanum cum Sfortia Duce capit. In* Anglia *expeditionem facit in Aquitaniam* Henricus *VIII. sed per Scotum domum revocatur. In* Dania *Johannes Rex Dithmarsos infeliciter oppugnat.* Christiernus *II. filius duas expeditiones frustra in Svecos suscipit. In* Polonia

Jo-

Johannes Albertus Masoviam regno adjicit. Alexander *Fridericum ordinis Magistrum, jusjurandum recusantem, ejicit, Tartaros vincit.* Sigismundus *Moschos, Tartaros & Valachos fundit. In* Bohemia *Maria Austriaca Ludovico Ladislai Hungari filio desponsatur.* Burgundia *de mortuo Philippo, Carolo filio cedit.*

Quantum ad Ecclesiam, Leo *indulgentias* impudentissimè vendit. *LUTHERUS* se illis opponit, citatus ad Concilium generale appellat. In Moguntina Synodo, Mariam absque originali peccato esse natam, concluditur.

IV. Carolo ius V. in Germania multos conventus religionis gratia agit, Johannem Fridericum Saxonem capit: à Mauritio Electore ex Germania propter Hessum pellitur: In Italia Mediolanum recipit, Franciscum Gallorum Regem in prælio ad Ticinum capit, in Galliam irruptionem facit, in Africam geminam expeditionem suscipit, in novo orbe feliciter navigat,

Eo imperante

Solymannus *Turca, multa in Asiâ, Hũgaria, Apulia, Barbaria, præclare gerit, Viennam obsidet.* In Africa *Scirifii filii* Hametes & Mahometes *Marochi & Susiæ Reges appellantur, & victo Mahomete Fessano Fessam occupant.* In Hispania *Carolina pax est.* In Lusitania *succedit Emanueli Johannes.* In Italia *Alexander Medices Dux Florentiæ creatur.* In Gallia *Franciscus I. multa egregia contra Cæsarem gerit, tàm ante captivitatem suam, quàm post.* Henricus II. *Metim capit; Hanoniam vastat, ad Renciacum ambiguè pugnat.* In Anglia *Henricus Boloniam occupatã in Piccardia Francisco concessit.* In Dania *Christiernus à Svecis receptus ob crudelitatem rejicitur: in ejus locum Gustavus eligitur.* In Polonia *Sigismundus I. Orientalem Borussiam in Ducatum mutat, succedit ipsi* Sigismundus Augustus. In Hungaria *interfecto Ludovico, Ferdinandus Caroli frater regnum suscipit, & simul Bohemiæ Rex designatur.*

Qvan-

Quantum ad Ecclesiam, *Concilium Tridentinum* celebratur. Pontificia religio in Anglia primò sub Henrico, mox sub Eduardo, mutatur. In Gallia & alibi persecutionibus pii affliguntur: multi tamen ubiqve à Pontifice desciscunt. *Jesuitarum* ordo instituitur. Lis Sacramentaria & furor Anabaptisticus huc pertinent.

V. FERDINANDUS I. in regem Germaniæ, reclamante Electore Saxoniæ, eligitur: controversiam inter Alberti Brandenburgici agnatos, Episcopos Franconiæ, & Senatum Noribergensem componit, dissensiones de religione sedare conatur.

Eo imperante

Solymannus *impulsu Johannis Waivvodæ in* Hungaria qvædam occupat: *Christianos in mari mediterraneo vincit, dissidiis filiorum vexatur.* Hispania *sub* Philippo II. & Gallia *sub* Henrico *II. inter se committuntur. Toletum recuperatur.* In Anglia *Maria crudeliter regnat, ei* Elizabetha *succedit.* In Sco-

tia *bellum inter subditos & viduam reginam ob religionem geritur.* *In* Dania & Holsatia *Fridericus II. & Adolphus Holsatus tumultuantur.* *In* Svecia *bello adversus Ericum regem Norvegia recuperatur.* *In* Polonia *Livonia regno adjicitur*; *Moschi insigni victoriâ ductu Nicolai* Radzivilii *vincuntur.* *In* Belgio *Antonius Granvellanus omnia turbat.*

Qvantum ad Ecclesiam, *Concilium Tridentinum* finitur, pax religionis in imperio promulgatur. In Gallia Colloqvium Possiacenum instituitur, multi cremantur, Hugonotarum nomen incipit: Integer usus Cœnæ Dominicæ à Paulo IV. Ferdinandi subjectis conceditur. *David Georgius* pro Christo se venditat. In Polonia Evangelium ab unitis fratribus Bohemicæ confessionis prædicatur: Biblia in Polonicam lingvam vertuntur. Episcopatus in Belgio constituuntur.

VI. Maximilianus *II.* Princeps nunqvam satis laudatus cum Turca in

in Hungaria, cujus ut & Bohemiæ Rex fuit, bellum gerit, seditiosos in Germania coërcet, tranqvillitatem publicam & religionis tuetur.

Eo imperante

Solymannus *Turca bellum Melitense gerit.* Selymus *expeditionem in Moschos infeliciter suscipit: Cyprum Venetis eripit.* Tartari *Moschoviam urbem capiunt.* Johannes M. Dux *ipsorum Livoniam invadit. In* Persia *Ismaël Rex octo fratres trucidat.* Muhemed Hodabendes *cum* Amurathe *Selymi successore bellum gerit.* Hispanus *Africæ bellum infert. In* Gallia *bella religionis sub* Francisco *II.* & Carolo *geruntur.* LanienaParisiensis *instituitur. In* Anglia Elisabetha *tranqvillè omnia administrat. In* Scotia *inter Mariam Reginam & subditos turbæ sunt. Inter* Danos, Svecos & Lubecenses *bellum geritur; pax Stetini concluditur.* Poloni *Svecos in Lithuania vincunt. Dantiscani jubentur se sistere in causis cognoscendis coram Senatu regni; post Sigismundum,*

Henricum Andegavensem, *& post hunc* Stephanum, *in Regem eligunt. In* Belgio *magnos motus* Margareta Parmensis *& Albanus, avaritiâ, crudelitate & inquisitione Hispanica excitant. Inter Proceres Imperii floret* Fridericus Elector Palatinus.

Quantum Ad Ecclesiam, Consensus Dresdensis & *Formula Concordiæ* ab Augustanæ Confessionis Theologis eduntur; *Flacius* peccatum originis substantiam esse dicit. Austriacus libertas religionis conceditur.

VII. Rudolphus *II.* contentiones de Episcopatu Argentinensi exortas componit, in Ungaria cum Amurathe & Mahomete Turcis bellum gerit. Calendarium Gregorianum Germanis obtrudit, cum Matthia fratre dissidet, exercitui Passavienſi connivet.

Eo imperante

Amurathes *Croatiam per Mahometem filium infestat;* Mahometes *cum Maximiliano & Matthia Archiducibus, varia* for-

fortuna in Ungaria congreditur, domi voluptatibus indulget. Achmetes *pacem cum Rudolpho facit, à Persa verò ingenti damno afficitur.* In Africa *Abdelmelecus Rex Sebastianum Portugalliæ regem vincit.* Bufferus & Essedanes *ipsius nepotes inter se digladiantur.* In Germania *unio à Principibus Protestantibus, & liga sacra à Pontificiis, instituitur: Truchsesius in angustias redigitur: contra Leopoldum Austrium arma sumuntur: Braunsviga à Braunsvicensi oppugnatur.* In Hispania *Henrico III. Sebastiani successore mortuo, pervenit regnum Portugalliæ ad* Philippum. *Mauri omnes ex Hispania pelluntur.* Philippus *III. succedit.* In Gallia Henricus *III. variis bellis primo exercetur à Guisianis, Navarræis, exercitibq; Germanicis, Guisio sacræ ligæ copiis suffulto. Eo occiso* Henricus *IV. Rex Navarræ, Princeps fortissimus, regnum sibi vendicare conatur, multa contra ligam, Sabaudum & alios fortiter gerit, nefarie occiditur.* In Italia *inter* Papam *& inter* Venetos *bellum geritur: Jesuitæ Venetiis ejiciuntur.* Elizabetha An-

gliæ Regina *Hispanos ex Hibernia pellit, classem ipsorum dissipat, Hispaniam invadit, & multa alia gerit.* Jacobum Scotiæ *Regem hæredem scribit, qui exantlato uno in Scotia periculo, ab altero, à* Jesuitis *structo, servatur, & tranquillè res administrat. In* Svecia *Carolus Dux Sudermanniæ Regis sumit titulum. In* Dania *Christianus IV. Urbes exstruit & ornat; contra Carolum Svecum & Gustavum ejus filium feliciter rem gerit. In* Polonia *Stephanus Dantiscanos & Moschos coercet.* Sigismundus III. *Maximilianum sibi oppositum vincit in Regem Sveciæ coronatur, contra Carolum patruum & Moschos multa præclarè gerit, intestino bello petitur.* Moschovia *turbatur à substituto, ut volunt, Demetrio. In* Ungaria *Botzkajus à Cæsare discedit. Sigismundus Battorius multas arces Turcis eripit; cum Cæsare confligit, Gabrieli* Battorio *Transilvaniam relinqvit. In* Bohemia *dissidium est inter Proceres & Cæsarem. In* Belgio *Hispaniæ regi Philippo Ordines confœderati Belgii Dominium abrogant,*

gant, feliciter sub Wilhelmo, non satis sub Leicestrio, felicissimè sub Mauritio, bellum contra ipsum & Albertum Austriacum gerunt, in utramq; Indiam navigant, & tandem inducias cum eo pangunt. Circa hæc tempora sparsum est, commeare per urbes Judæorum quendam, qui ob injuriam olim Christo crucifigendo factam, perpetuæ usq; ad extremum diem oberrationis esset damnatus.

Qvantum ad Ecclesiam, Clemens VIII. Jubilæum celebravit. Importuna Romanæ religionis per Jesuitas propagatio magnas, ubiqve ferè terrarum, certè in Polonia & Ungaria, turbas dat: Ideò ex Anglia proscribuntur: Belgium ingredi prohibentur: In Gallia certis articulis constringuntur. Marpurgum reformata religio inducitur. Infelix Arminii cum Orthodoxis, in Belgio dissidium incipit. *Cunradus Vorstius* multa hæretica in Theologiam invehit. *Smalcius* Socinianorum in Polonia antesignanus, cum complicibus blas-

phemias suas spargit. *Fratres Roseæ crucis* multa jactant. Evangelici in Polonia Syncretismum piè ineunt.

VIII. MATTHIAS I. postulatis protestantium Principum non satisfacit, Aqvisgranenses proscribit, in bellum cum Bohemis incidit.

Eo Imperante

Achmetes *Turca à Cosaccis, Persis & Hispanis vexatur.* Osmanes *in Podoliam copias mittit, à Persis cruenta clade afficitur.* In Mauritania *Sidanes Marocorum Rex à Mago vincitur, sed eũ postea vincit.* In Hispania *contrahit Philippo IV. nuptias cum Galli sorore.* In Italia *ex morte Ducis Mantuani bellũ de Montisferratensi territorio, inter ipsius fratrem & Sabaudum oritur.* Veneti, *conjuratores opprimunt.* In Gallia *regnat Ludovicus XIII. turbatur à principibus ob Ancræi potentiam.* In Britannia *pax est.* Poloni *Moscoviam igne delent, &* Vladislaus *in M. Ducem eligitur.* In Bohemia *incendium ob diruta qvædam templa exoritur, qvod hodiè adhuc durat.* In Ungaria *Cabriel Bethlen*

prin-

principatum occupat. Inter Danum & Svecum, *nec non inter hunc & Moschum, pax, bello sepositio, initur. Confœderati* Belgæ *Brandenburgico contra Neoburgicum, Venetis contra Ferdinandum Austrium, auxilia ferunt, domi turbis* Barnefeldii, *periculo summo exponuntur.*

Qvantum ad Ecclesiam, Jubilæus & à Pontificiis & à Reformatis celebratur, *Concilium Nationale* in *Hollandia* propter Arminianos habetur. *Elias Methus* Dei verbum se esse jactat.

IX. Ferdinandus II. jam Bohemiæ & Hungariæ Rex Electus, in Imperatorem, frustra se opponentibus Bohemis, eligitur. Bohemos per Bavarum, Moravos per Bucqvojum, Silesiam & Lusatiam per Saxonem Electorem subjicit, Friedericum Palatinum fugat & proscribit, Danum per Tyllium ad pacem adigit, à Sveco, cui se Principes qvidam cum Saxone adjungunt, universo ferè imperio exuitur.

Eo hactenus imperante

Osmanes *Turca bellum Polonis infeliciter infert, à* Mustapha *strangulatur, qui mox* Amurathi IV. *cedit. In* Hispania *Philippus IV. aulicos quosdam, facilitate patris sui abusos, punit. In* Gallia *inter matrem, Principibus quibusdam stipatam & Regem Condæo innixum, bellum geritur. Rupella, Duce Richelio, expugnatur. Aurelianensis infeliciter turbat. In* Italia *bellum Mantuanum Ducatum corripit, sed frustra obsessa à Spinola Casalo, extingvitur. In* Britannia *tractatur frustra reconciliatio Palatini cum Cæsare & Pontificiis, qvædam concedunter, mox adimuntur.* Gallis *bellum à Carolo Rege, Jacobi Successore, infertur,* Svecus in *Livoniam & Borussiam, nec sine successu irrumpit, pactis cum Polonis ad sexennium induciis, faustam expeditionem in Germaniam suscipit*: Comitem Palatinum *qui ibidem moritur, revocat; in prælio non procul Lipsia, victor occumbit.* Danus *in bello cum Imperatore universam ferè* Holsatiam *amittit*:

tit: pace factâ, eandem recipit: Hamburgenses persequitur. *In* Polonia *eligitur in Sigismundi III. locum Uladislaus IV. princeps omnibus heroicis virtutibus insignitus. In* Ungaria *Gabriel Bethlen infestat Cæsarem: aliquot Ducatibus pacatur.* Rakozius *ei succedit. In* Belgio *finitis induciis, bellum resumitur. Urbes nonnullæ,* Henrico *Principe Auraico felicissimè rem gerente, capiuntur. America infestatur, Limburgensis etiam Ducatus, capta Trajecto ad Mosam occupatur; de induciis tractatur.*

Ecclesia ingenti persecutione in toto imperio afficitur, victoriis Evangelicorum recreatur. Pleriqve ex Bohemia, Moravia, & Silesia exules, sub alas Illustrissimi *Comitis Lescinii Palatini Belzensis*, unici ex supremis Regni Poloniæ Senatoribus, religionis Reformatæ patroni, confugiunt. In Gallia aliqvot seditiosi Jesuitarum libelli comburuntur. *Jesuitarum* ordo in Italia à Pontifice Romano aboletur.

X.

X. Ferdinandus III. Imperator post patrem electus bellum Germanicum variô Marte continuat. A Bernhard. Vinarienſi & Svecorum Ducibus vehementer inveſtatur. Alſatiam ferè & in eâ Briſacum urbem munitiſſimam, amittit. Propè Chemnitium in Miſniâ à Bannerio magnâ clade afficitur. Bohemiam fermè ſubjugatam à Bannerio, recipit. Carolum Friderici Palatini F. copiis ejus profligatis in Weſtphaliâ, valdè atterit & ante obitum pacem, diu Germaniâ excluſam, non ſine gaudio videt reducem.

Eo imperante

In Oriente Amurathes ad Babyloniæ obſidionem CCCM. hominum adduxit: etſi verò à Perſis ſubmotus peſte atqve ad LM. amiſiſſet, rediit tamen Babylonem, cæſis XIV. M. Perſarum expugnavit. Deceſſit anno hujus Sec. XL. In Hiſpania Philippus IV. bellum Italicum Sabaudicum varia fortunâ geſſit. A Rege Galliæ in Arteſia & Fland-

Flandria, à Belgis in pugna navali clades accepit. Condæum tamen ad Fontarabiam profligavit. Cataloniâ & Lusitaniæ regno, qvod ob tributorum exactiones Johannem Bragantiæ Ducem, Regem istius nominis IV. creaverat, excidit. In Gallia Ludovicus XII. Hispanos vicit. Huic duo ejusdem nominis succedunt Reges. Penes qvos duo Cardinales Richelius & Mazarinus celebres. In Germania Galli per Vinarienſem Cæſareanos ad Buqvenum fundunt. Brisacum fame ad deditionem adigunt. Atrebatum in Arteſiâ capiunt. Vinarienſis exercitus ob ſtipendia à Turennio retardata, ad Königsmarchium transit. In Britannia Carolus I. cum Scotis ob novos introductos ritus disſidet. Mox in Scotorum caſtra fugiens Fairfaxio deditur, & ſecuri percutitur: Ejus filius Carolus II. Rex proclamatur in Scotia. Cromvvelus Protectoris nomine tyrannidem exercet, Carolum II.

An-

Angliam ingressum acie superat. In Svecia Regina vidua, nomine Christinæ Filiæ bellum in Germania non infeliciter sustentat. Hæc Christina regnô Sveciæ se abdicans Pontificiam religionem amplectitur. Hujus Duces in Jütia profligatis & ad pacem adactis Danis, cum Cæsareanos imprimis, tùm alios affligunt. Carolus Gustavus Palatinus Rex deinde eligitur, qvi in Poloniam feliciter movit. In Dania Christianus IV. cum Belgis ob nova vectigalia imposita, simultates exercet. Ulricum filium unà cum militibus à Belgis cæsum amittit. Successorem habet Fridericum III. In Polonia Uladislaus IV. nuptias cum Cæcilia Renata Sorore Imperatoris celebravit. Casimirum fratrem à Rege Galliæ captum, captivitati exemit & successorem habuit. Qvi contra rebelles Cosacos movit eosqve cum Tartaris insigni clade affecit. In Italia Thomæ Anielli instinctu Neapolitani contra proregem arma corri-

ripiunt. Parmenſe bellum contra Pontificem geritur. Brandenburgicus Elector bellum Neoburgico Duci, ob ditionem Bergenſem movit. Tandem Germanico bellô finitô, qvòd ante xxx. annos Pragæ cœperat, Monaſteri & Oſnabrûgæ in Weſtphaliâ, legato Imperatoris præcipuo Comite de Trautmansdorff, Svecorum Comite Ochſenſtirnio Juniore legato, anno R. Sec. 48. pax conſtituitur. Palatinus Octavus Elector conſtituitur. Elector Saxoniæ Johannes Georgius I. & Ferdinandus III. Imperator moriuntur. Ferdinando IV. qvidem Hungariæ corona imponitur: ſed mox illo decedente Leopoldo confertur. Ragozii Tranſilvaniæ ducis eodem tempore expeditio in Poloniam infelix eſt. In Belgio Auriacus Princeps Bredam expugnat, ad Callo infeliciter pugnat. Archithalaſſus Martinus Trompius Claſſem xx. navium Dunkerkanam vicit, & mox aliam Claſſem LXVII. navium

Hi-

Hispanicam in mari Britanico superavit, cum Anglis post gravissimas navales pugnas pacem ineunt Belgæ.

Qvod Ecclesiam concernit, Urbanus VIII. pacis desiderium simulans, sumtus ad exstirpandos Evangelicos suppeditat. Evangelici ex Bohemia, Moraviâ, Silesiâ, Palatinatu pelluntur. Hæresis Sociniana, in Poloniâ publicô comitiorum decretô, aliqvo modo fuit repressa. Racoviâ hujus defensores ejiciuntur. In Anglia & Scotia ob novos ritus ab Archiepiscopo Cantaurienſi introductos Ecclesia concutitur. Puritanorum nomen ibi innotescit. Multi hâc de causa suas familias in novam Angliam transferunt. Thorunienſe colloqvium Regis Poloniæ jussu indicitur. Hülsemannus Lutheranorum partes egregiè tuetur. Eô finitô nova disidia inter Theologos oriuntur. Joannes Duræus Scotus Reformatam cum orthodoxâ con-

ci-

ciliare religione velis remisqve labo-
rat. Urbano VIII. defuncto ad digni-
tatem Papalem evehitur an. 44. In-
nocentius X. antea Johannes Bapti-
sta Cardinalis Pamphilius, qvi Pa-
cem Germaniæ Monasterienſem pro-
testatione interposita impedire an. 48.
temerè conatur, ex Jubilæo ano. 50.
magnos thesauros corradit. Postquàm
sedisset annos undecim, obit an. 55. suc-
cedit Alexander VII. qvi erat Fabi-
us Chisius de Sienâ.

XI. Leopoldus Ferdinandi III.
F. natus 1640. Bohemiæ & Hunga-
riæ Rex Imperator Rom. Francofur-
ti A. Sec. 58. eligitur. Apparatum
belli à Patre relictum in Svecos, Po-
loniam Daniamque prospero successu
impugnantes convertit, juncto cum
Polonis Danis atqve Electore Bran-
denburgico fœdere. In Transilvani-
am Ragotzio auxiliares copias mit-
tit contra Turcas. Inde hos cum
Tartaris in Ungariam moventes, Im-
perii Romano-Germanici & Gallo-
rum

rum auxilio, bis insigni clade affecit, ut xx. annorum inducias desperatâ belli fortunâ exorare Turcarum Primus Vezirius fuerit coactus: ann. 64. qvo fratrem unicum superstitem Carolum Josephum amittit Anno 65 Comitatum Tirolensem recipit, vacantem ex morte Sigismundi Francisci Archi-Ducis Oenipontani sponsi Hedvvigæ Augustæ Sulzbacensis. In matrimonium ducit Margaretam Theresiam Philippo IV. Hispaniarum Regi ex alterâ conjuge Mariâ Anna Ferdinandi III. Imperatoris filiâ, eâqve sorore suâ, natam, quæ longo & difficili itinere emenso Viennam ingreditur ann. 66. extremo. Hungariam primoribus ejus Viris aliqvot res novas machinantibus maturè perdomat ann. 70. Ex Conjuge suscipit ann. 67. filium Ferdinandum denatum initio anni 68. filiam Mariam ann. 69. adhuc viventem; filium secundo genitum ann. 70. paulo post defunctum. Conjugem amittit ann. 73.

man-

mense Martio, in cujus locum sibi mense Octobri jungit Claudiam Felicitatem *Archi* Ducis Oenipontani relictam filiam, qvæ an. 74. mense Septembri *An*nam Mariam in lucem edit, mensis December rursum è vivis eripit. Alteram filiam Mariam Josepham an. 75. parit. *An.* 76. mense *A*prili ipsa mater vitam finit, qvam filia Maria Josepha sequitur. Tertiam Conjugem Eleonoram Magdalenam Theresiam Ducis Neoburgensis filiam virginem 21. annorum, suæ materteræ magnæ neptem mense Decembri amplectitur, qvæ an. 78. d. 25. Julii Principem filium enititur, Josephum, Jacobum, Ignatium, Johannem, *An*tonium, Eustachium in baptismate appellatum. *An.* 79. Peste ex Hungaria Viennam translata cum familia & Proceribus Cæsar se recepit Pragam. Sed & hanc infectam mox deserere cogitur.

An. 80. *A*ugusta parit Lincii filiolam Mariam, Elisabetham, Luciam, Theresiam, Josepham: an. 81. filium Leopoldum, Josephum, *P*hilippum, Wilhelmum, Franciscum, *An*tonium, Erasmum.

An. 83. Turcarum Exercitu recta Viennam petente Cæsar familia & Ministris aulæ qvibusdam secum adsumtis paucis ante horis, qvam obsidione urbs cingeretur, elabitur & singulari DEI providentia Tartarorum insequentium insidias evadens Lincium, & postea Passavium venit. Filiam mense septembri tollit Mariam, Annam, Josepham, Antoniam, Reginam. An. 84. filium secundo genitum Leopoldum defunctum luget; mox filiam osculatur natam Mariam Theresiam, & Viennam revertitur. An. 85. exhilarat ipsum nativitas Principis filii Caroli, Francisci, Josephi, Wenceslai, Balthasaris, Johannis, Antonii, Ignatii. An. 86. Eleonora Gonzaga Ferdinandi III. Imperatoris vidua superstes, ætate & morbo confecta naturæ debitum exsolvit. An. 87. Filia Imperatoris Maria, Josepha, Collecta, Antonia lucem aspicit. Primogenitus Josephus Rex Hungariæ hæreditarius Posonii conoratur. An. 89. Anna, Josepha, Antonia, Magdalena, Gabriela nascitur. An. 90. mense Januario

Au-

Augustæ vindelicorum Conjux *Augusta* coronatur, & Josephus I. Rex Hungariæ ut sit Romanorum Rex eligitur & inauguratur. DEUS hunc servet, ut *Patris* laudatissimi Symbolum & exemplum explens, Imperium olim gerat: CONSILIO ET INDUSTRIA.

Hoc imperante

In Oriente Achmed II. (aliis Muhamet IV.) qvi cum *Pater* Ibraim à Janitzaris strangularetur an. secul. 48. sex annorum Puer erat, rerum potitur. Candidiam valdè oppugnat. Ragotzium Transilvaniæ Ducem cædit, Barczaium in ejus locum substituit, Varadinum expugnat an. 60. Hinc ingentis belli cum Imperatore Romano semina. Capto & obtruncato *Achatio* Barczaio à Johanne Kemenio defuncti Ragotzii Duce, qvem Ordines Transilvaniæ auxiliis Cæsaris nostri fisi, Principem sibi acceperant, Michaël Abaffy à Turcis surrogatur an. 61. Kemini Janos verò à suis proditus interficitur an. 62. Inde Turcæ bellum in Hungariam transferunt an. 63. Anno se-

qvente naſcitur Sultano ex concubinâ Græcâ filius, fratres juxta legem antiqvam ſtrangulandi adhuc in vivis relinqvuntur. Bello Hungarico compoſito, Candia omnibus viribus, maximè an. 67. 68. 69. fremente ex tam longâ per annos viginti & unum obſidione, & tantum non ad arma in Imperatorem ſuum proſiliente populo Conſtantinopolitano, impugnatur, & licet à Venetis, atqve auxiliaribus Papæ, Germanorum, Gallorumqve acriter defenſa tandem an. 69. deditione capitur, ita tamen ut in ipsâ inſulâ Venetis relinqvantur Suda, Spina longa, Carabuſa, & inſulæ proximæ Tinæ & Cerigo. Bellum adverſus Polonos ſuſcipitur an. 72. finitur an. 76. Inducias cum Cæſare Leopoldo in viginti annos an. 63. factas, nec omnino finitas an. 83. frangunt barbari in Hungariam irrnentes, & Viennam obſidione cingentes, An. 85. Peſtis Conſtantinopoli ſævit. an. 86. Occiſis cladium ſuarum, quos putant Auctoribus militiæ præfectis imperitis, rerum ſummam in Solymannum Baſſam, belli pe-

peritum transferunt. an. 87. Mahumedes IV. Imperator solio deturbatur, eiq; sufficitur frater Solymannus seu Selym 9 Depositus cum filio suo custodiæ traditur. an. 88. Bassæ in Asia rebelles Mahumetem imperio dejectum restitui cupiebant, & in Europa tumultuantes, alii munera sibi conferri postulabant, alii Mahommetis primogenitum Mustapham throno imponere, & Solymannum tanqvam rerum gerendarum imperitum removere intendebant.

In Persia Regis an. 67. demortui successor filius Judæos ob negotiationis iniqvas incolis graves extirpat. In Indiâ Orientali Belgæ profligant Lusitanos, in Insulâ Formosâ cedunt Barbaris cum Lusitanis pacem ineunt an. 61. Iisdem eripiunt an. 62. Cananor, & an. 63. Cochinum. *In Indiâ Orientali* Regem in Macassare Belgæ bello vincunt an. 70. an. 82. Societas mercatorum Belgica Orientalis Reguli Bantamensis in India Orientali filio contra Parentem auxilium ferens, occupata urbe Bantam, Anglos ejicit. *Afri-*

ea *Imperio* Taffilet Maroccensi & Fezensi regno subacto an. 68. inhiat an. 70. cujus victor Goryland Regni Fessani & Maroccani possessor (in eodem campo, qvo 1578. occubuerat Sebastianus Portugalliæ Rex) pugnans occiditur à Muly Ismaele, qvi excluso fratre Gaylandi eidem successit an. 73. *Angli* munimenta Hollandorum ad Promontorium viride unà cum navibus capiunt an. 64. qvos progressus Ruyterus *Ammiralis* illuc à Belgis mox missus sufflaminavit. An. 83. Classis Gallica piratas *Algerienses* ignibus pyrobolicis coercere nõ valens regreditur. An. 86. Eadem ad præscriptas conditiones pacis Tripolitanos compellit. Inter Doji *Achmet* Celebi, & Bey Holy, & Mechmet Fratres de regno Tunetano bellum geritur.

Hispaniæ Rex Philippus IV. cum Ludovico XIV. Gallo pacem init an. 59. eidemqve ex primâ Conjuge Elisabethâ Gallicâ filiam Mariam Theresiam, ejuratis prius ab ipsâ hæreditatis juribus in Hispaniæ regna & Ducatus reliqvos, in ma-

matrimonium elocat. Copiis, duce Joanne *Au*ſtriaco naturali Filio, contractis *P*ortugalliam affligit. Mox verò alio ſubſtituto Exercitûs Duce, Luſitaniæ Rex Johannes IV. Hiſpanos victoriâ elatos fugat. *P*hilippus IV. vitâ defungitur an. 65. Filius unicus legitimus ſuperſtes Carolus II. paulò poſt avito regno inauguratur, qvarto ætatis anno. Altera ejus Filia Cæſari conjux datur. Mater Anna Maria Auſtriaca conſilio Senatûs bellum adverſus Luſitanos perſecuta an. 66. 67. premente Belgium Hiſpanicum Gallo paciſcitur, Ducesqve Bragantiæ legitimos regni Portugalliæ hæredes atqve Reges agnoſcit an. 68. Johannes Auſtriacus Nithardo Jeſuitâ Reginæ à Confeſſionibus, Romam ſpecie Extraordinarii Legati miſſo, cum Reginâ & Proceribus in gratiam redit an. 69. Eſcuriale ſive Laurentii monaſterium à Philippo II. viginti millionibus conſtructum ignibus miſſilibus noctu ob canonizationem Ferdinandi Catholici excitatis corripitur, maximamqve partem incendio perit an. 71. Fœ-

dere cum Imperatore, Belgis Confœderatis & Electore Brandenburgico inito bellum adversus Gallos proclamatur anno 73. Rex impleto an. 14. majorennis salutatur anno 75. An. 79. Joannes de Austria fato fungitur. An. 80. Rex Mariam Lovisiam de Bourbon, Philippi Aurelianensis Ducis filiam ex Gallia adventantem excipit uxorem. Terræ motus concutit Hispaniam inprimis Mallagam. An. 82. pace Gallica infida fœdus cum Cæsare, Svecis & Batavis pro defensione pacis Neomagensis sancitur. An. 81. Cantina fœmina Gallica Reginæ Cameraria ministra, cum aliquot Gallis in carcerem conjiciebatur, qvod Regina non tantum potionem sterilitatis præbuisset, sed & Regem ipsum perdice veneno condita è vivis tollere suscepisset: postea tormentis subjiciebatur & tandem è Regno Hispaniæ proscribebatur, complices Galli, qvi in reginæ ministerio erant, ex aula & regno relegabantur. An. 89. Regina diem suum obit. Altera conjux Maria Anna Philippi Wilhelmi

helmi, Electoris Palatini & Ducis Neoburgici filiarum, quæ vivunt, tertia, sub tutela classis Anglicanæ inter insidias piratarum Gallorum salva ac incolumis Hispaniam saluto anni 90. Mense Martio.

Lusitaniæ Rex Johannes IV. fatis concedens an. 66. regnum relinquit Alphonso Filio. Hic Hispanorum ad Evoram victor ab uxore Mariâ Franciscâ Isabellâ d' Aumale, Sabaudâ, Ducis Nivernensis Caroli filiâ, domum ductâ an. 66. repudiatur ob ineptitudinem ad debita matrimonialia, immò depositus à Regni statibus custodiæ traditur, an 67. Pace inter has Turbas cum Hispanis conclusâ Petrus Fratris Regis captivi uxorem, indultu Pontificis pœnæ vicem, abstinentiam menstruam injungentis, sibi jungit, an. 68. & Regens Regni Tutorqve Fratris in Insulam Terceram ab Olysipone 200. milliaribus disitam paulò pòst deportati, declaratur an. 69. qvo Petro conjux parit filiam Isabellam, Mariam. Josepham qvam Status regni hæredem declarant, si nullum principem masculum

nasci contingat an. 74. An. 82. inqvisitio contra Judæos furit, adeo ut qvidam Judaismum ejurare recusantes, vivi comburerentur. An. 83. mortuo Alphonso in insula Tercera frater ejus Petrus justus regni hæres declaratur. an. 84. Regina obit. an. 87. Sponsa Regia Maria Sophia Philippi Wilhelmi Electoris Palatini moderni filia secunda in Amplexus Regis se dat: an. 88. parit filium brevis ævi; & alterum an. 89. Johannem Franciscum, Antonium, Josephum, Bernhardum.

In Italia Alexander VII. Regem Gallum placaturus Corsicos milites proscribit, Pyramidem in rei gestæ monumentum erigit, Cardinalem Chigium deprecatum Lutetiam mittit, Comitatum Avenionensem à Rege interceptum recipit. an. 64. Pyramis illa sub Clemente IX. Consensu Galli rursum destruitur an. 68. qvo Inscriptio qvoqve deletur, qvæ defectionem Henrici IV. Regis Galliæ à Reformatâ ad Pontificiam religionem indicabat. Principi Florentino Ferdinando de Mecicis II. extincto an. 70. succe-

dit

dit filius Cosmus III. ex itineribus per Belgium Hispaniam, Angliam, Galliam Germaniamque an. 67. 68. 69. factis inclutus. Christina bis in Sveciam regressa an. 60. & 66. & per annum ferè apud Hamburgenses divertens, Romam se recipit, an 68. ubi hactenus moratur. An. 72. Mesinenses in Sicilià adversus Vice-Regem Principem de Ligne summa cum plebis rabie & licentià tumultuantur. Inter Sabaudum & Genevenses manus conferentes panguntur Induciæ, qvas Pax excipit an. 73. difficiliores articuli committuntur tribus Academiis Patavinæ, Bononiensi & Ferrariensi. An. 74. Mesinenses Regem Galliæ Dominum suum vocant, qvi suppetias mox illuc & Pro-Regem Comitem Vivonnium mittit. An. 75. Venetiis obit Dux Dominicus Contarenus, eligitur novus Nicolaus Sagredus. Moritur etiam Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux, relicto filio Victore Amadeo decem annorum, cujus tutelam suscipit vidua mater. An. 76. Classis Belgarum sub Ammirale Ruytero &

naves Hispanicæ Gallos Mesſinenſibus auxilio venientes adSiciliam navali prælio cogunt recedere. Ruyterus autem vulnere à globô tormenti pedibus accepto, animam efflat. Paulò poſt Galli naves Hiſpanorum & Hollandorum aliquas, qvæ ad reparandum in portum Panormitanum ſe receperant, comburunt. In mortui Nicolai Sangredi locum Veneti Ducem ſumunt AloyſiumContarini. An. 78. Galli, cum & eos, qvos ſperarant, progreſſus non facerent, & Siculorum iram & indignationem incurriſſent & bellum cum Anglis timerent, qvo premente acquiſita conſervare diffidebant, Inſulam ipſi relinqvunt, qvæ ſe regi Hiſpaniæ denuo ſubmittit: conjurationis Duces qvatuor capitibus plectuntur, & cives complices magnam argenti ſummam mulctæ loco ſolvere jubentur. An. 80. Itali Gallorum machinationes ſuſpectant, maxime cum de Casala, Gallis à Duce Mantuano vendita rumor increbeſceret. Athanaſius Kircherus mortalitatem explet. An. 82. Mons Veſuvius ardet. an. 83. Pontifex

tifex fœdus Cæsaris, Poloniæ regni, ac Venetorum contra Turcas svadet, & stipendiis solutis conservat. an. 84. Genuæ magnam partem Galli è classe emissis globis ignivomis disjiciunt & destruunt, sed proditione detecta recedunt. Veneti fatis functo Aloysio Contarini Ducem eligunt Marcum Antonium Giustunianum: fœderi juncti contra Turcas Cæsari & Polonis, in potestatem suam redigunt insulam Mauram, qvæ olim erat Leucadia, & Prevezam. An. 85. Genuensium Dux Franciscus Maria cum qvatuor Senatoribus in Galliam proficisci, & Reipubl. nomine culpam commissam apud Regem publice deprecari cogitur. Veneti Coronem oppidum, ad sinum Messeniacum situm expugnant, & Turcarum turmas obsessis suppetias ferentes vincunt. Iidem in Archipelago classem Turcarum superant & dissipant. an. 86. rejectis barbarorum copiis Novarinum Vetus & Novum deinde Modon, item Neapolin de Romania occupant. an 87. Papa asyli jus, qvod hactenus Legati exte-

terorum Principum in suis ædibus sibi arrogaverant, abrogat, & opponente se Gallo contranititur, non tantum renovando Julii III. Pii IV. Gregorii XIII. Sixti V. bullas adversus eam libertatem editas, sed & severis edictis pœnam excommunicationis in eum decernendo, qvi jus id usurparet; Lavardinum advenientem pro Legato Regis Galliæ agnoscere detrectat, donec usurpato juri renunciet. Veneti Morosino & Konigsmarkio Ducibus in Peloponneso seu Morea prælio superant Turcas, arcesque ad sinum Corinthiacum, qvæ Dardanelli vulgò vocantur, capiunt: urbes Batrasso seu Patras, & Lepante, qvæ olim Naupactus dicta, subigunt, adeoqve universa potiuntur Peloponneso, Athenas usqve progressi. Iidem castellum Novum, haut longè à Ragusa situm, Turcis eripiunt. An. 88. Pontifex indignatur Parisiensis Parlamenti Decretum, qvo ipsius actiones acerrimè perstringebantur, & ab excommunicatione Lavardini tanqvam ab Ecclesiasticæ potestatis abusu ad

Con-

Concilium universale provocabatur. Venetorum Dux Justinianus decedit, in cujus locum eligitur Franciscus Morosinus, summus navium præfectus, qvi contra Turcas bellum hucusqve strenue gesserat. Negropontem opidum in Eubæa insula munitissimum frustra oppugnat, cui obsidioni immoritur Konigsmarkius. Terræ motus urbes inter Venetias & Romam concutit; in primis Neapolin fœde lacerat, & Beneventum ferè totum evertit, multis per ruinas ædificiorum hominibus pereuntibus. Florentiæ Johan Gaston filius hæres Magni Hetruriæ Ducis in matrimonium accepit Electoriæ Bavariæ sororem Violantam Beatricem. An. 89. Veneti Neapolin Malvasiæ obsessam tenent. Christina Regina Sveciæ Romæ ad plures abit. Vesuvius ignes & cineres evomit. Hispani opidi Gvastallæ munimenta à Duce Mantuano sumtibus Galliæ Regis posita destruunt.

Galliarum Rex Ludovicus XIV. pace cum Hispano confirmatâ per Ducem Crecqvium ingrata *A*lexandro VII. ob Ducatum Castronem Parmæ Duci debito-

torum prætextu an. 1644. ereptum, jam restituendum denunciat; an. 60. Mazarinus Cardinalis in Galliâ moritur, scripto amplius quadraginta millionum potissimum Rege herede. Nascitur Delphinus anno 61. die omnium Sanctorum dictus Ludovicus XV. anno 68. Filia Maria Theresia an. 67. filius secundogenitus Philippus an. 68. defunctus anno 71. filia qvinqvennis obit an. 72. qvi tertio Filio Ludovico Francisco natalis idem & emortualis erat. Carolus Lotharingiæ Dux Lotharingiam vendit Regi Galliæ pacisens sibi, ut inter principes regii sangvinis reciperetur. Carolus, Ducis ex fratre Francisco nepos se exclusum videns fugit in Germaniam. Crecqvius Romæ à Corsis Pontificis militibus qvi à Burgundis qvibusdam exacerbati ædes ipsius & uxorem rhedâ vectam invaserant, læsus redit, vindictam minante paranteqve Rege, an. 62. qvi eodem tempore Dunkerkanum portum 15. auri tonnis ab Anglis redimit. Mittuntur Imperatori contra Turcas suppetiæ anno 63. Galli qvi Duce Beaufortio Gigereum com-

commerciorum ſtabiliendorum causâ ad Africæ litora occupaverant, & novo nomine la Sainte Croix vocarant, magnâ clade à Mauris rejiciuntur an. 64. Anglis bellum indicunt, vires ſuas cum Belgis conjuncturi an. 66. Pro ambagibus litium forenſium coercendis Codex Ludoviſianus à ſex Cauſarum in Parlamento Patronis conſcribitur. Duellorum licentia ſeverè coercetur. Societas Eruditorum ad imitationem Regiæ Anglicanæ, & Mercatorum in utramqve Indiam negotiantium inſtituitur an. 66. Rex Bello petit Hiſpanicas in Belgio provincias ob renunciationem juris in eas à Reginâ factam ſolutionem dotis dilatam, Philippi IV. Soceri teſtamentum, aliaqve Pace Anglorum Batavorumqve ſtudio reductâ an. 68. Flandriæ urbes anno præcedente occupatas retinet, Comitatum Burgundiæ qvatuordecim dierum ſpatio ſubactum reddit. Conatus mare mediterraneum per foſſam cum Oceano committendi poſt Carolum M. cœptus ann. 64. qvod in terram aqvas haurientem incide-

ciderit, irritus deprehenditur an 68. Nobilibus mercaturam facere conceditur, demta ignominiæ & culpæ opinione an 69 Lotharingiæ Ducatum Rex missō milite adoriri jubet capereqve an. 70. perhibens Ducem, qvi ægrè fugâ elabebatur; 1. vectigalibus non perferendis subditos Gallos oneraſſe. 2. limites, qvibus suæ cujusqve ditiones signabantur, diruiſſe. 3. aluiſſe milites plures, qvàm pro numero in Pactis permiſſo. 4. fœderibus exterorum Principum Gallico nomini adverſantibus ſe immiſcuiſſe. Frater Regis Philippus Dux Aurelianenſi ſecundas nuptias celebrat cum Eliſabetha Carolottâ Electoris Palatini filiâ in itinere Metis Religionem Pontificiam amplexâ an. 71. Rex paratis exercitibus ſociisqve belli Anglorum Rege, Electore Colonienſi & Epiſcopo Monaſterienſi in Belgas Confœderatos, qvos ſecuros eſſe juſſerat ſuus in Gallia Legatus Petrus Grotius, movet an. 72. ac veluti torrens cui reſiſti neqvit plerasqve terras inundans, uno menſe Junio propugnaculum Lippenſe prope Veſaliam, Buricum. Veſaliam ipſam

psam, Orsoyum, Rees, Emericum & Rheinbergam, Campeniam, Daventriam, Zutphenium, Arnhemium, Nardam munimentum Schenckianum, ac tandem Ultrajectum in potestatem suam redigit; adjecisset Amstelodamum, nisi apertæ cataractæ aditum prohibuissent. Monasterienſis vero subjugat Borkelo, Lingam, Oldenzielam, Grollam, Moersiam. Nense Julio dedit se Gallo Gravere ad Mosam clavis Brabantiæ, Monasterienſi Cœverda clavis provinciæ Groningensis, ipsa verô Groninga eidem resistit invicta sub præsidio Caroli Rabenhauptii nobilis Germani. an. 73. Rex ipse cum exercitu Trajectum ad Mosam oppugnans, amissis 8000. militibus deditionem facere cogit, in Gallia castellum Arausionense occupatur. an. 74. totus Burgundiæ Comitatus subigitur. Nobiles ac vasalli per Galliam ad bellum conscribuntur, qvalis Evocatio & Subevocatio (Galli vocant le Ban & Ariere Ban) ab an. 1636. non contigit. Prope pagum Seneff in Belgio Hispanico inter Confœderatos & Condæum cruentum utrinqve commit-

ti-

titur prælium. an. 75. Rex ipse in Belgium veniens, Limburgum occupat. an. 76. Condatum (Conde) & Aria (Airen) subiguntur. an. 77. Limburgi munimenta destruuntur; Rex iterum exercitui præsens Valentinianam ad Scaldin in Hannonia proditione capit, mox divisis copiis cum ipse Cameracum, Dux Aurelianensis Fanum S. Audomari obsidione premeret, & Belgæ auxilio venientes ad S. Audomari profligarentur utraque urbs deditionem facit, & S. Gvillienſe submittit. an. 78. in Flandriâ Gandavum & Ipra præsidium recipere coguntur. Eodem anno pace cum Belgis confœderatis seorsim facta Rex Hispanos derelictos cogit pacisci, cedereqve sibi Comitatum Burgundiæ, Valentiam, Cameracum, Ipram, & alia loca. an. 79. Helvetii fortalitio Huningæ non procul Basilea jussu Regis extructo includuntur. an. 80. Delphinus Sponsam amplectitur Maximiliani Electoris moderni Bavariæ sororem Mariam Annam Christinam. Rex titulum Ducis Burgundiæ contradicentibus Hispanis usurpat; ab iisdem sub

præ-

prætextibus nuperæ pacis, pagos, urbes præfectus in Belgio poſcit, ſi denegentur, armis vindicare ſibi minitans. an. *81.* Svecicus Legatus Ducatus Bipontini reſtitutionem urgens ad tribunal Cameræ Metenſis remittitur. an. *82.* Delphino naſcitur filius Ludovicus, qvem Rex Ducem Burgundiæ declarat. Urbis *A*rauſionenſis mœnia diruuntur, & Ducatus ipſe juſto poſſeſſori *P*rincipi *A*rauſionenſi abjudicatus traditur Duci Johanni Ludovico Longavillæo. *P*ro Duce Arauſionenſi Belgæ confœderati per legatum inani opera intercedunt. an. *83.* Regina morti occumbit. *P*rovinciæ in Belgio Hiſpanico vexantur, arma aponentibus Hiſpanis apertum exiſtit bellum. Inde Galli Cortricum & Dixmuden capiunt. Conjux Delphini parit *P*hilippum Ducem Andegavenſem. an. *84.* in Flandria & Brabantia Galli pergunt graſſari, ignibus omnia vaſtantes: Luxenburgum firmiſſimam urbem provinciæ caput obſident & deditione accipiunt. Ducis Aurelianenſis filia ſecundogenita. Anna Maria Hiſpaniarum Reginæ ſoror Duci Sabau-

Sabaudiæ Victori Amadeo II. elocatur. an. 86. Rex æger putri fistula aut alio occulto morbo Chirurgi secantis ope restituitur, & nepotem ex filio Carolum Gastonem, Ducem Biturigum tollit. In Regis honorem statua magna triumphalis Parisiis eligitur, eiqve solis effigies superimponitur, & in qvatuor ignitabulis inauratis monumentum perpetuis; ignibus collucetur: ad quod arguti Gallorum qvidam luserunt, qværentes: num quid opus esset juxta solem lampades accendere? an. 87. cum Romanus Pontifex Legatorum ædibus jus asyli tolleret, Lavardinum misit Romam, tueriqve illud pertinaciter jussit an. 88. inducias viginti annorum an. 84. promissas frangit, ac Romanum Imperium invadit; Belgis etiam bellum denunciat. Propter Pontificis duritiem adversus Lavardinum Romæ, in custodia detinetur Parisiis Nuncius illius, qvi Apostolicus vocatur. Decretum Parlamenti Parisiensis Pontificis actiones iniqvas pronunciat; urbs Avenionensis occupatur, Papaqve regni hostis pro-

proclamatur. an. 89. inter Gallos & Turcas fœdus contra Christianos percutitur.

Britanniæ Tyrannus Cromvvelus sicâ morte ad inferos descendit an. 58. Carolus II. hactenus in Belgio exul magno populi Anglicani studio in regnum reducitur, homagium suscipit an. 60. Tyranni acta omnia rescinduntur, cadaver è sepulchro erutum discerpitur capite palis infixo an. 61. exules restituuntur, parricidæ supplicio afficiuntur. Sub idem Tempus societatem Regiam auctoritate suâ Rex munit. Conjugem è Lusitaniâ Catharinam Iohannis IV. filiam ducit an. 62. hucusqve infœcundam. Accepit dotis munitam Africa urbem Tangor sive Tingi ad fretum Gaditanum. Cum Belgis mercimoniâ Anglorum in utrâque Indiâ turbantibus, haut infelicibus pugnis navalibus confligit an. 65. 66. dum Londini pestis homines, fortuitum incendium tertiam urbis melioremqve partem absumit. Pax cum Belgis initur an. 67. An. 72. Novum bellum instigante Gallo & pecunias suppeditante iisdem indicitur,

citur, pugnatur etiam mari fugientibus Batavis. Annus 73. tres pugnas Navales memorat. Primam licet Anglos Galli juvarent, Mars æqvus diremit, utrinque tamen jactata victoria. Altera Belgis favit; tertia Gallis turpiter diffugientibus vincunt Belgæ. Pax interveniente Hispano reducta an. 74. rejectis controversiis difficilioribus ad futuros Pacis Tractatus. Ab eo tempore Rex Conciliatoris inter belligerantes personam gerit, bellum tamen Gallis morosè paci repugnaturis minatur trajecto in Flandriam an. 78. milite confœderatis accedente & urbes maritimas Belgii Hispanici custodiente. Conjuratio Papistarum auctoribus Jesuitis inita de Rege vi tollendo, de Regia familia extirpanda, de Reformata religione opprimenda detegitur. Qvare Parlamentum Regi persvasit, ut omnes Pontificios Londino excedere in agros mandaret. an. 79. plures ejus conspirationis complices deprehensi ad supplicia trahuntur, contra Pontificios & præprimis Jesuitas novum decretum

tum publicatur, qvo odium erga sectam illam gravius conflatur, adeo ut fratrem Regis Ducem Eboracensem, qvod Pontificiam religionem profiteretur, securitatis causâ in Belgium discedere oportuerit. Qvo facto multi in Parlamento orant, ut ipse etiam à successione futura regni excluderetur. In Scotia Bresbyteriani seditionem excitant, qvam Dux Monmuthius Regis filius naturalis cum copiis suis dissipavit. An. 80. Turbæ foventur tum Londini tum in Hibernia ob dissidium religionis aliis Duci Eboracensi fratri Regis, aliis Duci Monmuthio faventibus. An. 81. Parlamenta à Rege convocata cum urgerent, ut religioni Pontificiæ addicti è regno ejicerentur, Duxqve Eboracensis à successione in regno excluderetur, mox dissolvuntur. An. 83. Nova conspiratio contra Regem emanat, cujus auctores 40. supplicüs tolluntur. Academia Oxoniensis publicat decretum contra libros Hobbesii, Miltoni, Ovveni ac Buchanani, ex qvibus assertiones faventes licentiæ populi ac vi inimperantes, excerpsit, damnavit

navit, ac combusſit. Londinenſes privilegia ſua Regi tradere tenentur. Princeps Georgius Daniæ Regis frater cum Anna Ducis Eboracenſis filia nuptias celebrat. an. 85. Carolus II. Rex moritur, cui ſuccedit frater Dux Eboracenſis Jacobus II. Adverſus hunc Dux Monmuthius, vel qvod regnum ad ſe pertinere putaret, vel qvod nondum eſſet placato animo; qvia antea ex Anglia cedere juſſus fuerat, allectis in Hollandia qvibusdam ſociis extorribus, quos iter præcipuus Comes Argile clam bellum parat coëmtisqve aliqvot navibus Argile appellit ad Scotiæ litora, ubi expoſitis copiis multos in ſuas trahit partes, paſſimqve editis ſcriptis injuſtum & pernicioſum Regis novi imperium Monmuthium verum Regni hæredem & avitæ religioni addictum eligendum eſſe, perſvadere audet. Pugnans adverſus regium exercitum capitur, & Edinburgi capite plectitur. Monmuth nihilominus in Anglia contra Regem ducens copias, infuga proditus apprehenſusque, Londini

dini qvinqve ictibus à carnificis securi exceptis publico in theatro decollatur. an. 86. Rex Parlamentum de die in diem differens, exauctoratis multis assessoribus Consiliariisqve suis Reformatæ religionis Papistas surrogat, ipsisqve qvi Pontificiorum errores pro concione arguerant, Episcopis honores adimit. Londini passim extractis Sacellis celebrantur Missæ, qvæ tamen semel atqve iterum à vulgò turbantur. an. 87. Rex Leges contra Romano-Catholicos à prioribus Regibus & Parlamentis latas tollere & abolere nititur, Religionis & Conscientiæ libertatem singulis promittens sectis, ut sub hac specie Pontificiam religionem introducat: jubet Cantabrigiensem Academiam in Collegium suum recipere Franciscum Monachum Franciscanum eiqve Magisterii gradum, qvæ dignitas ibi habetur in magno pretio, conferre: Oxonienses Academiæ Doctoribus Antonium Farmersum Oxonienscm Episcopum, Præsidem obtrudit, remoto rite electo Doctore Houghio.

An. 88. Jacobo Regi filius nascitur

Carolus. Princeps Vralliæ, qvi arte Jesuitica suppositititius fertur. Episcopis qvi in abrogationem sanctionis, qvam Test vulgò vocant (qva voce testimonium indigitatur publice edi solitum in templo ab iis, qvi munera aliqva capessere volebant, ad S. Synaxin accedendo, ac transsubstãtiationem Pontificiorũ ejurando) non consentiunt, neqve Regium decretum, qvo religioni & conscientiæ libertas singulis conceditur sectis, in cœtu ecclesiastico è suggestu populo prælegere & publicare nolunt, custodiæ tradit; sed graviter ferente populo dimittit. Princeps Auranionensis Wilhelmus Henricus à Proceribus Angliæ anxie rogatus, cum instructa classe copiisqve missum Angliam appellit, ingreditur, regno sub vi & dolo Jacobi Regis gementi libertatem, sibi & Conjugi suæ jus successionis asserturus: Is omnes fere provincias, qvas attingit, obsequiosas sibi reperit, auctus Anglico milite absque ulla fere sangvinis effusione ad Londinum usqve progreditur: Rex igitur Jacobus cum uxore sua & Principe Wallis

lis in Galliam fugit, Jesuitarum conciliis deceptus, ex Rege potentissimo exul factus.

An. 89. *Princeps* Auriacus Angliæ Rex, cujus uxor Maria, Jacobi II. profugi filia, Regina Angliæ ab ordinibus regni declarantur atqve inaugurantur. Bellum Gallis denunciatur. Regi & Reginæ Scotia regnum ab ordinibus defertur. Jacobus in Hiberniam revertitur Gallorum auxiliis subnixus, à Pro-Rege Tyrconello receipitur, copiisqve Regis Wilhelmi sæ opponit. Principi Daniæ Georgio ex Anna conjuge nascitur filius Wilhelmus.

Sveci è *Polonia* ejiciuntur à Polono, Cæsare atqve Brandenburgensi Electore fœderatis; Contra Carolus Gustavus in Daniâ Fioniam aliàsqve Insulas insolitâ hieme occupat, & castris haud procul Haffniâ positis pacem facit cum Dano an. 58. Sed mox bello resumto Haffniam oppugnat, an. 59. multis suorum perditis. Moritur an. 60. Caroli XI. Filii impuberis tutelâ Ludovico XIV. Gallo, Matri atqve Senatui commissâ. Sveci *Polonis*, Imperatori, Brandenburgico

gico, & paulò post Danis qvoqve reconciliantur. Cum urbe Bremensi, qvam Duce Wrangelio obsederant, intercedentibus Principibus Imperii transigunt an. 66. & inducias cum Moscovitis paciscuntur. Rex initio anni 73. majoreniis (qvippe annum ætatis 18. ingressus) regimen suscipit An. 74. Milites Svecici instigante Vitrio Galli Legato Marchionatum Brandenburgensem intrant, non ad apertas inimicitias exercendas, uti factum excusabatur in Comitiis Ratisbonensibus, sed ut Electorem ad pacem, cujus Sveci mediatores extitissent cum Gallo colendam adigerent. Interim adhuc an. 75. agros & oppida penitus exhauriebant, & ubi negabatur, transitum vi faciebant. An. 76. in Hollandiâ ad Halmstadium, & rursum in Scaniâ duobus præliis secundis utuntur adversus Danos. Helsingoburgum recuperant. Anno 77. Christianopolin, Caroli portum, an. 78. Christianiam recipiunt. an. 79. per pacem in Germania, Scania ac Norvvegia amissa redduntur. an. 80. Rex novam

vam cum Danis amicitiam confirmat per nuptias cum Ulrica Eleonora Regis Daniæ Sorore celebratas : fœdus Gallicum relinqvit, tum qvod debita subsidia Rex Gallica exsolvere recusaret, tum qvod in Ducatum Bipontinum per tribunal Cameræ Metensis sibi jus competere contenderet. *An.* 81. liberam sibi potestatem circa negotia pacis & belli vindicat, bona per superfluas donationes ærario subtracta repetit : filiam tollit Hedvvigem Sophiam.

An. 82. nascitur filius Carolus, & an. 83. alter Gustavus, & an. 84. tertius Ulricus. *An.* 85. decedunt Gustavus & Ulricus, qvos natus eodem anno Fridericus maximo cum aulæ mœrore mox seqvitur.

Daniæ Rex Fridericus III. pace cum Svecis composità omnium civium votis (solùm qvibusdam refragantibus *Proceribus*) absolutam prorsus ab arbitrio Senatûs in regno potestatem, & hæreditariam posterorum utriusqve sexûs successionem obtinet ; an. 60. Sereniſſimo

Principi Electoratûs Saxonici Hæredi Joh. Georgio III. Filiam natu majorem Annam Sophiam in matrimonium dat, nuptiis Haffniæ celebratis an. 66. Christianus maximus filiorum matrimonii nexu illigatur Principi Hassо, Casselanæ Carolotæ an. 67. Filia Friderica Amalia nubit Christiano Alberto Holsatо an. 67. Pater ipse Fridericus obit an. 70. succedit Christianus V. cui Princeps Fridericus nascitur an. 71. Wilhelma Ernestina soror Tertia jungitur Carolo Electoratus Palatini Principi hæreditario, eod. Anno. Alterum Rex filium Christianum Wilhelmum tollit an. 72. Fœdus percutit. an. 74. cum Imperatore, Hispano & Hollandis ad bellum inferendum eis qvi aliqvem ex fœderatis, ipsum etiam Electorem Brandenburgicum invaserint. an. 75. Wismariam Svecis eripit deditionem facere cogens. Ducem Gottorpiensem sibi suspectum Rensburgum invitat tamqve diu detinet, donec urbes suas munitas Danis concederet & fœderibus omnibus renunciaret. an. 76. diru-

un-

untur Tonningæ in Holsatia Ducali munimenta; Gottlandia Insula Svecis eripitur; classis eorum ope Belgarum insigni victoriâ ad Oelandiam profligatur. Trajecto in Scaniam exercitu Helsingoburgum, Coronia (Landscrone) deditione Christianstad vi occupantur, in Blechingia Christianopolis munitur; Caroli portus se submittit. an. 77. Christianstadium ab obsessione Svecorum liberatur. Iidem duobus præliis navalibus vincuntur: Insula Oelandia vastatur; Malmogia tamen infeliciter oppugnatur & sagnis collatis ambigus cum Svecis in Scaniâ decernitur. In Norvvegiâ Marstrand & Carlstein se dedunt. Filia Sophia Hedvvig nascitur. An. 78. in Scaniâ denuò Helsingoburgum Svecis eripitur. Bahusia in Norvvegiâ frustra obsidetur. *An.* 79. Pax cum Gallis & Svecis concluditur. Conjux regia parit filiam Christinam Charlottam; an. 80. filium Carolum; an. 87. Wilhelmum. Regis Mater Sophia Amalia vidua jam an. 85. decesserat. an. 89. mense Decembri Druntheimium

in Norvvegia terræ motus affligit: extingvitur pustulis Christina Charlotta.

Poloni post pacem cum Svecis adversus Moscovitas rem prospere gerunt, sed ipsi inter se dissidere incipiunt. Milites ob non soluta stipendia tumultuantur, & sub Confœderatorum nomine Patriæ & Regi insultant, an. 61. 62. ad officium redeunt soluto fœdere an. 63. Moscovitæ vincuntur an. 64. Lubomirskius Mareschallus *Regni* Poloniæ obnitens consultationi de successore olim Regis eligendo, qvàm conjux Regia in favorem nationis suæ Gallicæ optans successorem designari Ducem Engvianum ex sorore nepotem urgebat, in Comitiis anno 64. 65. aliqvib9 tamen contradicentib9, Patriæ Regisqve proditor declaratur, restitui cupit pristinæ dignitati, Regisqve copias associatis, Nobilibus Majoris Poloniæ prosligat. Arma ponit apud Regem atqve Reginam deprecatus, ann. 66. sed cum restitutionem impetrare non posset dignitatum, exul moritur Uratislaviæ an. 67. decretum contra eum factum

ctum tollitur in Comitiis an. 69. Induciæ 13. annorum cum Moscovitis ineuntur, & Regina Ludovica Maria vitâ excedit an. 67. Rex Johannes Casimirus nec precibus nec lacrumis flectendus regno se abdicat, non, uti inqviebat, ex fastidio regnandi, sed curâ æternitatis & amore erga patriam; in Galliam & *Abbatiam* S. Germani redit an. 69. in qvâ exspiravit an. 72. Post novem mensium interregnum præter omnium atqve inprimis exterorum Principum Candidatorum, Condæi, Moscovitici, Neoburgici, Lotharingici atqve Florentini exspectationem, in *Armatis* Comitis *Piastus* Michael Korybutus, Wiecnevvicky die suo natali 29. eligitur Michaelis nominali, coronatur; an. 69. Conjungit secum an 70. matrimonio Eleonoram Mariam Cæsaris Leopoldi sororem. Qvanqvam verò id conjugiũ properè initum aliquos Proceres malè haberet, rumperenturqve Comitia, aliis tamen seqvente an. 71. benè succedentibus Regina coronatur. an. 72. Turcæ rebelles Cosaccos protecturi Ukrai-

krainam Podoliæ partem invadunt, atque dum inter se Nobiles Poloni alii sub Confœderatorum, alii sub male contentorum nomine de defendendo regno consultantes dissident, Caminiciam propugnaculum in expugnabile hactenus habitum occupant, qvo tanto successu exterritis Polonis turpem imponunt pacem de relinqvendâ sibi universâ Podoliâ & tributo annuo 22000. ducatorum pendendo. an. 73. discordiis intestinis sopitis ad bellum Turcicum gliscens tributum etiam ab ecclesiasticis personis exigitur. Rex Michael diem suum obit die 10. Novembr. seqvente verò undecimo insigni clade Turcæ ad Borysthenem acceptâ fugantur à supremo militiæ Polonicæ Duce Johanne Sobiesky, qvi Rex salutatur an. 74. Turcas & Tartaros rursum vincit an. 76. Sic Pax illa turpis aboletur; Turcis Caminicia cum adsitis locis relinqvitur, reliqva Ukrainæ Polonis manent. An. 83. Rex cum exercitu accurrens Viennam dissidentes Turcas pellit & persequitur. An. 84. fœdere

so-

sociatus contra eosdem cum Cæsare Tartaros excurrentes aliqvoties repellit. an. 85. Turcæ Tartariqve ad Budian eo ipso die à Polonis funduntur, qvo ante annos 13. ab iisdem ad Cohtzim acie fuerant victi. an. 86. Rex Walachiam occupat, rursum deserit, Tartarorumque turmas cædit. an. 89. Caminiezii obsidionem Poloni aggrediuntur, mox solvunt.

In Moscovia moritur Alexius Alexivvitz Magni Ducis filius primogenitus. Stephanus Razin fratrem suum à Duce Militiæ Moscoviticæ Dolhorucky occisum ulturus, primùm Cosaccos, dein magno numeros alios attrahit, Urbem Astracan & totum regnum Casan occupat, an. 70. Proditione Cosaccorum captus tormentisqve subjectus Moscuæ miserabili supplicio interiit. *An. 76.* Magnus Dux Moscoviæ *Alexius* Michalovvitz qvinqvaginta qvinqve annos natus vitâ excedit, succedit filius 16. annorum Fœdor Alexovitz. An. 77. Moscovitæ Turcarum catervas sternunt ad Czecherin. an. 78. cum Polonis inducias pangunt, ut

Tu-

Turcas securius in Ukraina infestare repellereqve possint. In qva an. 79. vario Marte pugnantes, domi per rebellionem à Proceribus qvibusdam adversus Magnum Ducem concitatam turbantur. An. 80. Legatus in aulam Turcicam missus indignis modis habetur, & re infecta domum revertitur. Tartari irruentes igne & ferro latissime grassantur, & 15000. hominum in captivitatem abducunt. an. 81. Induciæ cum Turcis in 20. annos fiunt. an. 82. Magnus Dux veneno tollitur: ei sufficitur filius Petrus Alexovvitz fratri suo majori Ivano (i. e. Johanni) propter animi simplicitatem vitiumqve oculorum prælatus. Tum oritur militum prætorianorum, qvi Strelici nominantur, tumultus, qvo multi Proceres trucidantur. Petro militibus cogentibus adjungitur fratrer Ivan, ut jam duo existant Duces Magni. an. 85. Moscuæ urbis qvarta pars fortuito perit incendio an. 86. Magni Duces se associant fœderi contra Turcas. an. 87. Tartariam aggressi plerisqve castellis ac urbibus ad fluvios

Wol-

Wolgam & Borysthenem potiuntur, ostia ipsa Euxini Ponti expugnant. an. 89. Tartaros vincunt, sed deinde ab iisdem magna accepta clade repelluntur. Ineptus ad imperium frater coimperans abdicat se regimine. Mater Sophia monasterium ingreditur.

In Bello Hungarico felices Turcarum successus Forgatio in fugam acto, & Arce Novâ, qvam Neoheuselium vocant, occupatâ, Tartarisqve in Moraviam & Silesiam usqve excurrentibus, reprimit feliciter Nicolaus Serinius Comes an. 63. Cæsareanus miles copiis in auxilium ex Galliâ atqve Germaniâ accedentibus junctus bis insigni clade Turcas multat. Seqvuntur XX. annorum induciæ, qvarum leges *Abaffium Transylvaniæ Principem confirmant*, cui fatis functo, Cæsari nostro alium successorem dare licebat: Varadinum atqve Arcem novam Turcis, libertatem Christianis relinqvunt, munimentum aliud Arci huic adversum exstruendi, qvod Leopoldinum hodiè vocant. Nicolaus Serinius inter venandum

ab

ab Apro occiditur, an. 64. *Viennæ* Sodalitium Mercatorum versus Orientem in Turcicas ditiones negotiantium coit an. 67. Ex eâdem Judæi migrare jubentur an. 70. Petrus Serinius Bannus Croatiæ, Nadasty Palatinus, & Frangipani Comites, cum Ragozio juniore & Basis Turcarum in Regem atqve Cæsarem suum conspirare deprehensi an. 70. capiuntur, Viennamqve deducti capite plectuntur an. 71. Idem supplicium Græcii, qvod prodere complicibus ausus erat, subit Johann. Ferdinand. von Herberstein/ Comes de Tettenbach. Reliqvi seditionis consciі clementiam Regis sui implorantes veniam consequntur. Templa verò Evangelicis an. 71. & Oedenburgi (Sempronium alias vocant) aliiqve an. 73. erepta, novorum motuum materiam suppeditant. Ab eo tempore libertatem ecclesiasticam & civilem opprimi qvesti Hungari Malecontenti, attractis Cosaccis & Polonis qvibusdam, se opponunt Cæsareanis duce Comite Toekelio, eos-

qve aliqvoties profligant: accedente peste misera Hungariæ facies erat an. 78. Seqvente anno ob disidium obortum, discedentibus *Polonis* Cæsareanis in aliqvot velitationibus Hungari succumbunt. an. 81. Induciæ cum Malecontentis factæ desperatis æqvis pacis conditionibus abrumpuntur. Hinc Duce Toekelio arces & opida à Cæsareanis infesta occupantur, facta etiam irruptione in fines Silesiæ. An. 82. Idem Turcarum suffultus auxiliis superioris Hungariæ urbes intercipit, in qvibus præcipuæ, Cassovia, Eperies, Leutsch: pastores exules ad sua munera revocat. an. 83. Turcæ per Legatum Cæsaris de pace continuanda, frustra compellati exercitu numerosissimo (200000. numerantur) in Hungariam effunduntur, Ducem Lotharingiem, cum copiis retrocedere cogunt, Viennam obsident, & à Julio mense in Septembrem maxima vi oppugnant, sed fortius illa à præsidiariis sub Comite Starenbergio defenditur, donec die 3. Septembris adessent Rex Poloniæ vi pacti fœderis,

&

& Elector Saxoniæ Johannes Georgius III. ex singulari fide & amore erga Cæsarem, copiisqve cum Cæsareano milite conjunctis eam liberarent. Turcis cum maxima strage atqve jactura omnis apparatus bellici fusis. Hostem fugientem Rex Poloniæ & Dux Lotharingiæ persequuntur, & postqvam altero prælio eum prope opidum Barkan vicissent, Strigonium urbem per deditionem capiunt.

An 84. triplex fœdus inter Leopoldum Imperatorem, Poloniæ Regem, & Rempubl. Venetam in qvinqxe annos initur contra Turcas qvod maximè Romani Pontificis stipendiis annuis in id promissis ad majorem firmitatem perductum fuit. Cæsareani Vaciam seu Waitzen & Novigradum in potestatem suam redigunt, ibiqve Turcarum copias vincunt. At Budam frustra obsident. an. 85. Strigonium vulgo Gran obsidione cingunt Turcæ, sed à Christianorum copiis mox approperantibus repelluntur. Pons Esseccensis Turcarum turmis devictis à Cæsareanis Leslæo Duce occupatur, ignibusqve

qve ejus non exigua pars destruitur. Neuheusel opidum munitissimum an. 63. à Turcis captum, à Christianis vi expugnatur. Ad Vaciam iterum acie superantur barbari: in superiore Hungaria Cassovia aliæqve urbes clementiæ Cæsaris se dedunt. an. 86. Buda eo ipso die armata manu à Christianis occupatur, qvo ante annos 145. Solymannus eam astu interceperat. Hinc Cæsareani Segedino, qvinqve Ecclesiis, Darda, aliisqve opidis facile potiuntur. Ad famam captæ Budæ Transylvania excusso Turcarum jugo in fidem Cæsaris se committit. an. 87. In ejus tutelam Raguſa Respubl. sponte venit. Cæsareani inter Mohatz & Siclos cum Turcis pugnantes ingentem reportant victoriam. Iidem Esseccium & Walponem capiunt. Erla munitissima urbs diuturno obsidio coacta in potestatem Cæsaris emigrantibus Turcis se dat. an. 88. Conjux Tœkelii una cum arce Mongazo, se dedit Cæsari victura deinceps Viennæ. Alba Regalis victus inopia traditur Christianis. Albam Græcam Elector

Bava-

Bavarus ad unum mensem obsessum armis obtinet. In Moldavia aliqvot arcibus occupatis Princeps Walachiæ, qvam Poloni deserere erant coacti, Cæsari submissionem nunciat. an. 89. Sigethum firmissimum opidum fame compulsi Turcæ tradunt Christianis. Marchio-Badensis Princeps Ludovicus in Bulgaria bis copias Turcarum ad Moravam fluvium profligat, omnem apparatum bellicum cum castris prædatur, Nissinam & Vidium expugnat.

In Germaniâ Christophorus Bernhardus Monasterienſis Episcopus Monasterium, negans, qvod in Aulâ Imperatoris sibi adjudicatum erat, Jus præsidii, clavium, Portarum, vallorum, murorum & Symboli seu tesseræ militaris, deditionem facere suæqve voluntati se subjicere cogit. Anno 61. Comitia metu belli Turcici Reginoburgi inchoantur, an 62. qvæ hodieqve durant. Erfurdia intestinis civium motibus laborans, & qvod Fecialem ignominiâ affeciſſet à Cæsare proscripta, Electori Moguntino Johanni

Phi-

Philippo tanqvam executori opibus Gallorum impugnanti se permittit, an. 64. Recepit Elector arcem Cyriacoburgum libertatem Religionis perpetuam in Urbe Evangelicis pollicitus an. 65. Mortuo Cellæ Christiano Ludovico Duce Lünæburgensi de successione dissident fratres Georgius Wilhelmus & Joh. Fridericus Pontificiæ religioni addictus utroqve sibi portionem Cellensem asserente. Non diu post controversiâ compositâ Georgius Wilhelmus Cellam, Joh. Fridericus Hannoveram obtinet. Episcopus Monasterienſis pecuniâ Anglicâ conductus Transisalaniam invadit; an. 65. Verum Gallorum, Electoris Brandenburgici atqve Lünæburgensium Ducum auxiliarias cohortes metuens, cum Belgis amicitiam renovat. Magdeburgum ad homagium Saxoniæ Principi Augusto Archi-Episcopatus administratori, sibiqve post obitum Augusti Archi-Episcopatum consecuturo præstandum, & copias præsidiarias recipiendas adigit vi Elector Brandenburgicus. Brema Svecorum minis elabitur, cum inter alia,

pro-

promisisset, se in Comitiis, à sententia more Civitatum Imperalium; dicenda ultrò velle abstinere usqve ad an. 1700. Elector Brandenburgicus Fridericus Wilhelmus & Philippus Wilhelmus Dux Neoburgicus ortâ de Finibus lite conveniunt, ut illi Cliviæ, Marcæ & Ravensbergæ ditiones, huic Juliacensis & Bergensis cederent. Augustus Dux Brunsvicensium & Lünæburgensium moritur an. 66. Dissidium inter Electores Moguntinum & Palatinum de Wildfangionatu componitur. an. 67. Electoralis Princeps Saxoniæ tollit primogenitum Johann. Georg. IV. an. 68. & alterum filium Fridericum Augustum, an. 70. sororem autem Erdmutham Sophiam nuptam Christiano Ernesto Marchioni Byruthino extinctam luget. Elector Brandenburgensium extinctâ an. 67. Conjuge Henriettâ Auriacâ, secundis nuptiis insequente Anno sibi jungit Dorotheam Christiani Ludovici Ducis Brunsvicensis & Lünæburgensis viduam, ex qvâ an. 69. suscipit primum filium Philippum Wilhelmum; an. 70. filiam Emiliam, an. 72. mense Januario

rio alterum filium, *Albertum* Fridericum, menſe Decembri tertium *Carolum* Philippum, & an. 77. *Chriſtianum* Ludovicum. Fridericus Wilhelmus Saxoniæ Dux *Altenburgicus* mortalitatem explet anno 69. relinqvens unicum hæredem Fridericum Wilhelmum duodecennem, & filiam Johannam Magdalenam. Ille anno 72. menſe Aprili decedens terras ſuas transmiſit ad Erneſtum Principem Gothanum, & Duces Vinarienſes Fratres, qvi ita diviſerunt, ut Ducatum *Coburgenſem* & maximam partem Altenburgici Gothana familia obtineret, reliqvam Vinarienſis acceptâ compenſationis vice, pecuniâ. Hanc in matrimonium an. 71. aſſumit Johann. Adolphus Princeps Saxoniæ, Auguſto Archiepſcopatûs Magdeburgenſis Adminiſtratori primogenitus. Ipſe *Auguſtus Pater* ab an. 69. qvi *Annam* Mariam abſtulerat viduus, ſibi deſpondet an. 72. menſe Februario Johannam Walpurgin *Comitiſſam* Leinigenſem. Palatinus Elector militem Lotharingicum ex qvibusdam ſuis oppidis expellit,

pellit, & cum Lotharingiæ Ducis copiis confligit an. 68. res tamen interventu Cæsaris ad amicam compositionem disponitur an. 69. Comite Tettenbachio rebellionis cum Hungaris reo, Elector Brandenburgicus Duces Lüneburgenses Comitatum ejus Regensteinensem ad se devolvi qvisqve putant. Priores tamen Brandenburgici occupant an. 70. Werningerodæ autem ad litem dirimendam convenitur. Controversiam ex morte Antonii Güntheri Comitis Oldenburgensis absqve prole legitimâ decedentis an. 67. Regi Daniæ & Duci Gottorpiensi Holsato in Comitatus Oldenburgensem & Delmenhorstanum expectantiæ jus habentibus atqve ideò eos mox occupantibus, movet Dux Plœnensis Holsatus Joachimus Ernestus, successionem ob proximiorem agnationis gradum & ætatem grandiorem petens. Rex nihilominus Comitatum solus hodie possidet, postqvam summâ pecuniæ portionem Ducis Gottorpiensis, & jus Ducis Plœnensis in Judicio Aulico deductum & appro-

ba-

batum redemit. Dissidio de oppido Hœxtero, (in qvod Episcopo Monastetiensi ut Abbati Corbeiensi subjectum, & immorigerum, Duces Brunsvicos Lũnæburgenses Protectorio jure usi præsidium immiserant, anno 70.) ad Tractationem Bilefeldensem rejecto, in qvâ deinde suspensum est hoc negotium, exercitus Brunsvico Lünæburgicus circumsidet Brunsvvicum, controversæ semper libertatis urbem inopinantem, eamqve parum resistentem vix mense elapso, dedere se compellit. Recipiunt Cives præsidium, impensarum promittunt solutionem, jurant Rudolpho Augusto Duci Gvelferbytano obseqvium an. 71. Inter Electorem Colonienſem Maximilianum Henricum & Coloniam Agrippinam, cujus patrocinium suscipiunt Belgæ & ipse Imperator; veteres & antiqvæ simultates vigent. An. 73. defuncto Joh. Philippo Electori Moguntino succedit Lotharius Fridericus Coadjutor. Gallis occasione belli Belgici Rhenanas Germaniæ provincias infestantibus Imperator

& Elector Brandenburgicus pacto cum Belgis fœdere, in qvod postea Hispani venerunt, arma opponunt, & deducto per Hassiam militeColonienſem & Monasterienſem invadunt. Gallus Turenium mittit, qvi Comitatum Marcanum & reliqvas Westphaliæ provincias diripit. Elector cum RegeGalliæ pacem facit compensante damna terris illata, restituenteqve urbes, qvæ Belgis ereptæ ad Ducatum Clivenſem olim pertinuere. E contra *Augusta Trevirorum* ſuppetiis destitutâ Gallis ſe permittit, & destructis ſuburbiis monasteriisq; ſplendidisſimis munitur. Turenius usqve in Franconiam progreditur. Imperator Egram ſe recipiens cum Electore Saxoniæ aliisqve *Principibus* præſentibus agit de Germania defendendâ. Germani Gallis militantes domum revocantur ſub pœnâ perduellionis. Decem *Civitates* Imperiales Alſatiæ omnibus munimentis denudatæ ad incitas à Gallis rediguntur. *An* 74. *Coloniâ Agrippinâ* qvæ ad *Conſilia* Pacis ſuſcipienda ſuperiore anno placuerat bel-

li

ligerantibus, discedunt re infectâ Legati. Elector Colonienſis pace cum Belgis reſtitutâ Imperatori reconciliatur. Monaſterienſis deſerit fœdus Gallicum copias adducens Imperatori. Prælium ad Sinshemium in Palatinatu Gallos feroces coërcet. Elector Brandenburgicus, licet omnia Cliviæ munimēta etiam Schenckianum à Gallo accepiſſet, intelligens tamen Gallum detrectare Pacem Univerſalem, qvam promiſerat, denuò exercitum educit in Alſatiam. Ejus filius primogenitus Electoratus hæres Carolus Æmilius immaturo fato recedit Argentorati. Ad Turkheimium inter Fœderatos & Gallos præliis duobus utrinqve cruentis decernitur. Anno 75. in vacantem à morte Lotharii Friderici Archiepiſcopatum Moguntinum ſurrogatur Damianus Hartardus de Lejen. Svecis in Marchiâ pro lubitu agentibus Elector Magdeburgum tacitè tranſiens ſupervenit, atqve Ratenaviâ noctu occubatâ plerosqve cædit, inde collectos ad Fehrbellinum fugat, ac uno qvaſi ictu Svecorum

rum fortunam intervertit. Iidem Imperii hostes in comitiis Ratisbonensisibus pronunciantur Germaniqve sub eorum signis militantes edicto Imperatoris revocantur. In Alsatia Comes Montecuculi Gallos ex angustiis, qvibus concluſi erant exire tentantes feliciter profligat numerato inter cæsos Turenio. Lüneburgici cum fœderatis Trevirensem urbem obsident, Ducem Creqvium suppetias adducentem vincunt, & in urbem dilapsum, factâ tandem deditione captivum accipiunt. Mortuo duce Lotharingiæ, in prætensione Ducatus à Gallis huc usqve detenti succedit Carolus ex fratre nepos. Lünæburgenses & Monasterienses in Ducatu Bremensi Buxtehudam capiunt. Brandeburgicus Victricia arma circa Viadrum circumferens Wolgastum occupat. Georgius Wilhelmus Dux Lignicensis ultimus è Piasteâ familiâ, qvæ 300. amplius annos floruit, sine hærede diem juvenis obiens tres Sileſiæ Ducatus, Lignicensem, Bregensem & Wolaviensem Regi Bohe-

miæ

niæ Imperatori Romano relinqvit, qvi incolis religionis Evangelicæ exercitium imperturbatum pro suâ clementiâ sanctissimè promittit. Anno 76. Confœderati in Ducatu Bremensi Carolopolin, & Stadam Svecis extorquent. Iidem Philippiburgum in Episcopatu Spirensi ad deditionem cogunt, Gallis liberationem obsidionis aliqvoties magno molimine sine successu tentantibus. In Pomeraniâ Insulâ Usedom & Urbe Anklam Brandeburgenses potiuntur. Electori Trevirensi Carolo Casparo demortuo succedit Coadjutor Johannes Hugo Episcopus Spirensis, Montbelgardum præsidium Gallicum adigitur admittere. Merces Gallicæ in Imperium prohibentur importari vendive. Anno 77. Confœderatorum exercitus in Lotharingiam & Campaniam Galliæ usqve penetrat, velitationibus in Alsatiâ multos Gallos atterit; dum se in hiberna disponit Galli ex improviso Friburgum in Brisgoviâ adoriuntur & deditione accipiunt. Insulam Rugiam Dani maximam partem oc-

cupant. Stetinum ab Electore Brandenburgensi & Lünæburgensibus militibus durissimam obsidionem ultra qvinqve menses sustinens, sub finem anni in potestatem Electoris concedit. Anno 78. initio Rugiam cæsis Danis Sveci sibi restituunt, mense septembri à Danis, Brandenburgensibus, Lünæburgicis rursum expelluntur. Nuptiæ Caroli Ducis, Lotharingiæ cum Eleonora Mariâ viduâ Regiâ Polonicâ celebrantur. Diem suum obeunt Ludovicus Hassiæ Landgravius Darmstadinus, & Bernhardus à Galen Episcopus Monasterienſis bellicosus. Elector Brandenburgicus Stralsundam globis ignitis injectis multa parte combustam, & deinde Grypsvvaldiam adeoqve totam anteriorem Pomeraniam in suam potestatem accipit. an. 78. pollicitus reliqvis fœderatis, qvos pace seorsim inita deseruerant Belgæ, adversus Gallos Svecosqve auxilia. an. 79. cum Hispanis similiter pacem amplecti Gallicam coactis tota moles belli incumberet Germaniæ, Imperator cum Gallis & Svecis

cis juxta formulam pacis Monasterienſis an. 1648. conſtitutæ, pacem Neomagii facit, ita tamen, ut Friburgum Galli retinerent, Philippoburgum Cæſari maneret. Exemplum id ſeqvuntur Duces Lüneburgici, & novus Epiſcopus Monasterienſis Ferdinandus Fürſtenbergius. Lotharingiæ Dux maluit Ducatu carere, qvam in iniqvas à Gallo præſcriptas conditiones conſentire. Tandem pacem Elector Brandenburgicus & Daniæ Rex urgente Gallo accipiunt, Sveciſqve provincias & urbes in Germania, Scania & Norvvegia captas reſtituunt. Dux Mompelgardenſis concluſa pace in Ducatum ſuum regreſſus à Gallis capitur & abducitur. Ferdinandus Maria Bavarus Elector vitam cum morte commutat. Peſtem ex Hungaria ſecum fert Monachus Viennam. Archiepiſcopus Moguntinus moritur.

An. 80. Johannes Fridericus Dux Hannoveranus in itinere Venetias ſuſcepto defungitur Auguſtæ Vindelicorum. Galli pacem nuper factam variis machinatio-

nibus turbant, dum in Alsatia, Palatinatu & Trevirensi Archiepiscopatu pro libitu arces munitas occupant, demoliuntur, subditos ad tributa pendenda compellunt, sacra Protestantium turbant, multis etiam interdicunt. Contagio pestilentialis Viennam devastans Pragam, inde Dresdam, post Lipsiam invadit, multaqve millia hominum occidit. Elector Saxoniæ Joh. Georgius II. hac de causa Freiburgum concesserat, ubi diuturno morbo confectus anno ætatis sexagesimo septimo die 22. Augusti placide obdormivit, Princeps Pacificus, Pius & Munificus. Augustus ejus frater, Administrator Archiepiscopatus Magdeburgensis ante die 4. Junii, ætatis suæ sexagesimo sexto anno mortalitatem expleverat. Cujus obitu Archiepiscopatus ille vi instrumenti Pacis Osnabrugensis in Ducatum mutatus Electori Brandenburgico cesit. In Bavaria Maximilianus Maria Emanuel Electoralis dignitatis hæres majorennis factus regere suas ditiones aggreditur. Anshelmus Franc-

cis-

ciscus Archiepiscopus Moguntinus consecratur. Vienna peste liberatur. Diem suum obit Carolus Ludovicus Elector Palatinus, cui succedit filius Carolus.

An. 81. Cometa, qvi in fine anni superioris apparere cœperat, per universam Europam usqve ad 7. Februarii diem conspicitur. Cum Galliarum Rex non tantum omnes Alsatiæ Nobiles ac incolas ad homagium sibi præstandum Brisacum venire compelleret, sed & Electoris Palatini Marchionis Badensis, Comitum Nassovicorum, & alios Imperii subditos redigere in suam potestatem minis ac vi, nullo habito juris respectu pergeret, Imperator misso legato illum permovere suscepit, ut Imperio contra pacem Neomagensem erepta loca restitueret, damnaqve data resarciret. At vero Rex dependentium jure sibi ea juxta formulam pacis deberi asseverabat. Itaqve ne hæ controversiæ in bellum erumperent, Idem consensit in conventum Francofurti ad Mœnum hac de causa instituendum, pollicitus à die illo,

qvo legati sui iter fuissent ingressi, res in eo statu, in qvo essent, relictum iri. Verum mense Septembri, cum legati Gallici jam in Germaniam mense Julio venissent, Argentoratum copiis adductis terret, atqve ne qvidem resistere ausum per deditionem capit. Interim Legati Cæsaris & Imperii Francofurtum veniunt, de Argentorato contra datam fidem intercepto conqveruntur, ejusqve apud Legatum Gallicum restitutionem urgent. Advenit etiam Legatus Gallicus, qvi de Ducatu Bipontino restituendo ageret, qvem Gallus qvasi suum feudum Duci Birkenfeldensi Christiano ob præstitum sibi juramentum tradiderat. Dresdæ & Lipsiæ pestilitatis malo per singularem Dei gratiam extincto, Elector Johannes Georgius III. Civium suorum fidem solenni Sacramento sibi obstringit. Halæ Saxonum & Halberstadii lues mense Julio sævire incipit.

An. 82. Legati Gallici postqvam in Conventu Francofurdensi moras consultationibus studio injeciissent, & iniqva po-

postulassent, domum re infecta redeunt. Episcopus Argentoratensis Franciscus Egon à Fürstenberg Coloniæ obit, in ejus locum eligitur frater Wilhelmus de Fürstenberg. Per æstatem morbus epidemius armenta & pecudes invasit, ut si non mature lingvæ earum inciderentur, medicamentis qvibusdam adhibitis, intra 24. horas morerentur. Cometa die 16. Augusti à Solis occasu apparere incipit.

An. 83. Monasterienses post obitum Ferdinandi Fürstenbergii accipiunt Episcopum Electorem Colonienſem, Gallica commendatione usum. an. 84. Inducia viginti annorum cum Gallo fiunt. Rex Daniæ occupat Ducatum Slesvicensem, sibiqve homagiô cives obstringit. Princeps Electoralis Brandenburgicus Fridericus mortua superiore anno conjuge ElisabethaHenrica, Wilhelmi Landgravii Hasiæ filia, in matrimonium accepit Sophiam Charlottam, natam Ernesto Augusto Episcopo Osnabrugensi & Duce Brunsvico - Luneburgensi. Johan Gottfried de Gutenberg loco nuper defun-

functi Conradi Wilhelmi fit Episcopus Heroipolitanus & Dux Francorum.

An. 85. Elector Palatinus Carolus præmatura morte decedit, ex conjuge Wilhelmina Ernestina Friderici III. Regis Daniæ filia nullam post se relinquens prolem. Ideo Electoratus possessionem arripit Philippus Wilhelmus Dux Palatino Neoburgicus, sed protestatur Princeps Veldentius, obtendens sibi proximiori agnato deberi Electoralem dignitatem. Rex autem Galliæ bona & feuda non masculina pro defuncti Electoris sorore fratris sui Philippi Ducis Aurelianensis Conjuge postulat. Principis Electoralis Brandenburgici uxor cum magno totius Berolinensis aulæ gaudio Principem filium Fridericum Augustum partu felici edit. Hamburgi mense Novembri ventorum vis adeo sævit, ut vix centum fuerint ædificia, in qvibus tempestatis vestigia non deprehenderentur. Accessit ingens vis aqvarum, qvibus aggeres multis in locis, ac præcipue in ditione Bremensi rupti, agriqve inundati.

An.

An. 86. Elector Brandenburgicus publico edicto peregrinationes in exteras regiones suis subditis interdicit, nisi prius ab ipso veniam impetrassent. Loco Jägerndorfii Ducatus, qvem Elector idem à Cæsare prætendebat, binæ in Silesia Dynastiæ, Schvvibus & Sprottau ipsi concessæ. Filius Principis Electoralis Fridericus Augustus exspirat. Hamburgenses milites cum Lünæburgensibus aliqvot velitationibus concurrunt; his componitur appropinqvante Rege Daniæ cum exercitu, urbemqve armis compellere tentante ad homagium sibi præstandum Intercedentibus mediatoribus Electore Brandenburgico, Ducibus Lünæburgensibus, aliisqve Regibus, & ipso Imperatore monente, Rex Daniæ retrocessit, & controversiam juxta Recessum Pinnebergæ an 1679. factum relinqvit indecisam, nempe ut interim utraqve pars, suis juribus salvis in præsens iis, qvæ possideret, qviete frueretur.

An. 87. In Saxonia Magdalena Sybilla Johannis Georgii II. Electoris vidua;

in

in Marchia, Electoris filius Princeps Ludovicus, annorum 21. maritus Luisæ Charlottæ Ratziviliæ, qvam duxerat an. 80. improlis, & ex Ducibus Brusvicensibus Ferdinandus Albertus in Beveren, vita excedunt. Ad suos etiam abit Maximilianus Gandolphus Archiepiscopus Salisburgensis, Evangelicorum in suis ditionibus latitantium persecutor, cui Johannes de Thun Comes, & hactenus Episcopus Seckavienſis surrogatus fuit. In Alsatia inferiore Betfortum, & prope Trarbachium Montem regium, aliaqve loca muniunt Galli, Ordinibus Imperii qvanqvam contradicentibus.

An 88. Carolus II. Dux Mecklenburgicus Gustrovienſis, qvi anno præcedente Sibi conjunxerat Mariam Amaliam, Friderici Wilhelmi Electoris Brandenburgici filiam, sine hærede supremum diem explet. Elector ipse laudatissimus è vita migrat, cui Filius Fridericus III. succedit. Huic nascitur Princeps Fridericus Wilhelmus. Sub auspiciis regiminis duellorum licentiam Novus Elector severissima

lege

lege prohibet, sanciens iis, qvi in monomachia fuerint congressi, aut secundas partes aut internuncios saltim egerint, supplicium capitale: provocantibus, etsi pugna non seqvatur, remotionem ab officiis, multam grandem pecuniæ, aut incarcerationem; illis autem, qvotqvot injuriis alios lacessiverint, deprecationem & carceres. In eligendo successore Electori & Archiepiscopo Colonienſi Maximiliano Henrico Bavariæ Principi, qvem superior annus abstulerat, Capitulares in partes secedunt; alii Wilhelmum Egonem Furstenbergium Episcopum *Argentoratensem*, & Gallica arte factum coadjutorem eligunt, alia vero pars Capituli adoptat Josephum Clementem Bavariæ Principem, cujus electionem Pontifex Romanus & Cæsar ratam habent. Furstenbergius autem Gallorum auxiliis subnixus res novas molitur, opidaqve munita Bonnam, Kaisersvvertham, Reinbergam, & alia eisdem Imperii hostibus tradit. Hinc novum prætextum non occultæ hostilitatis nactus Rex Galliæ, fractis induciis

ciis Germaniam cis & trans Rhenanam hostilib9 invadit armis, magnas undiq; cogit pecunias: qvibus acceptis nihilominus funestæ faces subjiciuntur urbibus. Spiram, Wormatiam, Oppenheimium, Moguntiam, Heilbronnam, Heidelbergam, Manheimium, Franckenthalium capiunt; Confluentiam tamen ad Rhenum & Mosellam frustra oppugnant, & Rotenburgium obsessum relinqvere coguntur appropinqvantibus Saxonicis fœderatisq; copiis, qvæ Duce ipso Electore aliqvas urbes recuperarunt. Carolus Philippus Palatinus Neoburgicus Princeps Radzivilliam viduam ducit.

An. 89. Galli urbes & regiones, qvas tueri neqveunt, truculenter devastant. Heidelbergæ præcipua ædificia exurunt, subjectoq; pulvere pyrio arcem, pontem, mœniaq; destruunt. Manheimium urbem elegantissimam una cum arce incendunt, rudera solo æqvant. Spiram, Wormatiamq; facibus subjectis comburunt, Monasteria, templa, & cœnobia, qvibus flamma pepercerat, demoliuntur, multa millia

millia hominum in exilium mittunt, segetes immaturas demetunt, & pessundant, vineas vitesqve evertunt, & omnem regionem in vastam solitudinem convertunt. Vita excedit Maria Anna Principis Electoralis Palatini uxor. Moguntiam confœderati à mense Julio usqve ad principium Septembris obsessam deditione accipiunt. Galli Sinzheimium, Gochsheimium Badenam, Franckenthalium, aliasq; pulchras urbes & pagos circa eas expilatis incolis in cineres redigunt. Bonna tandem occupata toto Archiepiscopatu Colonienſi Galli ejiciuntur. Duci Holsatiæ Gottorpienſi Rex Daniæ per amicabilem compositionem Ducatum & bona restituit. Mauritius Wilhelmus Dux Saxoniæ & Administrator Naumburgenſis in matrimonium accipit viduam Caroli Ducis Megapolitani Gustrovienſis. Defuncto ultimo Duce Saxoniæ Lauenburgenſi in Ducatu eo successionem sibi vendicant Elector Saxoniæ, Principes Anhaltini, Duces Brunsvico Lunæburgenſes, Duces Mecklenburgenſes. Camera Imperialis Spira à Gallis devastata Wezlariam trans-

transfertur. Oeniponti menſe Decembri terræ motu ædificia qvamplurima diruuntur. Ducis Lotharingiæ conjux filium partu edit Franciſcum, Antonium, Joſephum, Mariam, Ambroſium, Nicolaum. Pater Sereniſſimus an. 90. menſe Aprili in itinere Viennam decedit commendans conjugem cum ſex Principibus filiis Cæſari.

Belgæ navalibus pugnis an. 65. & rurſum, an. 66. infeliciter congrediuntur cum Anglis, ſemel tamen de victoria gloriantur. Reparatâ claſſe Tameſin obſident, ingreſſi an. 67. naves aliqvot bellicas Anglorum incendunt, in littora exſcendentes obvia vaſtant, Londinum Terrore implent. Statim deinde Bredæ Pax urgentibus Legatis Svecicis concluditur. Cum Anglis & Svecis Fœdus ineunt an. 68. qvod inde Triplex appellatur ad Conſilia Gallorum coërcenda; utqve à Belgio Hiſpanico prorſus ſubigendo eos deterrerent, Hiſpaniæ qvoqve Reginam communi conſenſu in id reci-

piunt

piunt; an. 69. Wilhelmum Henricum Principem Arausionensem in Consilium Status introducunt an. 70. Merces ex Galliis advehi alias planè prohibent, alias vectigalibus nimium auctis impediunt, à Rege provocati, iisdem modis mercimonia Belgarum è Galliis exterminante; an. 71. qvæ causa belli atrocissimi. An. 72. à Gallis & Episcopo Monasteriensi tantum non oppressi, intestinis motibus laborant, in qvibus Princeps Auriacus supremi in bello Capitanei potentiam jure hæreditario liberis masculis transmittendam obtinuit, Wittii Fratres pro Libertate Principi obnitentes Amstelodami à furente plebe in minutas partes dilacerantur. Petrus Grotius cum aliis proditionis accusatus fugit. Rabenhauptius strategemate nocturno Coeverdam intercipiens, animum facit Belgis caput erigendi. Anno 73. à Fœderatis sublevati Nardam Gallis eripiunt; qvi cum milite adeò multo per præsidia distributo carere non possent qvam plurimas

mas urbes, interqve eas Ultrajectum emunctas prius opibus deserunt. Gravæam ad Mosam, in qvam Spolia desertarum urbium congesserant Galli anno 74. post diuturnam obsidionem recipiunt. An. 75. magnâ aqvarum inundatio Hollandiæ cladem gravissimam infert. Anno 76. cum confœderatis Trajectum ad Mosam oppugnant, sed adventantibus Gallis deserunt amissis decem millibus militum relictoqve multo apparatu bellico. an. 77. Principi Auriaco matrimonio jungitur Maria Ducis Eboracensis, post Jacobi II. Regis Angliæ filia primogenita. Belgæ excluſis fœderatis ſociis pacem cum Gallis Neomagii amplexi Ultrajectum ad Mosam recipiunt. an. 82. Selandiæ aliisqve finitimis provinciis exundationes aqvarum magnas inferunt calamitates. Belgium Hispanicum in locum Ducis Parmensis Gubernatorem novum, Marchionem de Grana salutis publicæ amantiorem excipit. an. 83. Rex Angliæ postulat sibi satisfieri à Belgis confœderatis

ratis de damno in India Orientali Anglis illato. an. 81. extincto Marchioni de Grana Franciscus Antonius d' Agourto sufficitur. Non procul Namurco vicini locorum Præsides Gallici partem provinciæ sub dependentiarum nomine decerpunt. an. 86. mense Novembri ingentes tempestates sæviunt in Frisia, aggeribusqve ruptis ager Embdanus et Groningensis inundantur: multa hominum ac animantium millia fluctibus obruta misere pereunt. Iidem turbines ad Hollandiæ & Seelandiæ oram haut pauca evertunt navigia. an. 88. Classis magna paratur in Belgio confœderato, qvæ suspensam universam Europam tenet. Eam cum adversus Regem *Angliæ* Jacobum II. ire cognovisset Rex *Galliæ*, bellum Reipubl. intimat, qvod *ipsa junctis* cum Imperio Germano, Rege *Angliæ* Wilhelmo Henrico, Hispanoqve armis propulsat.

Ecclesiasticas res qvod attinet; Marchio Franciscus Josephus Borri Mediolanensis jactans 1. *Revelationes Angelicas*

licas. 2. se esse Pro-Christum seu defensorem Christi. 3. Chiliasmum invento prius Lapide Philosophico, armis à se statuminandum. 4. Mariam deam, immo Spiritum S. incarnatum. 5. in Eucharistiâ cum Christi corpore & Mariæ adesse, 6. Tres deitates, aliaqve plura cum Enthusiastis communia; ab inqvisitione Romæ an. 60. & seqventi 61. Mediolani hæreseos damnatur. Fugâ elapsi effigies Romæ à carnifice comburitur. Profugus per Germaniam Amstelodami Chymiam & mercaturam exercet; inde multis contractis debitis erumpit an. 66. Hamburgi Christinam decipit; an. 67. in Daniam migrat, Haffniaqve extincto Friderico III. excedit; in Moraviâ apprehensus Viennam, deinde Romam, in carcerem abducitur an. 70. Alexander VII. primus definit immaculatam conceptionem passivam Mariæ; an. 61. Idem antecessoris Bullam contra Jansenistas approbat, eosqve è Regno Galliæ ejici impetrat, nisi certæ formulæ subscriberent. Sed infallibilis haberi etiam in Gallià affe-

fectans voto suo apud Regem majestati suæ timentem & Sorbonnam excidit. Sabaudiæ Dux Carolus Emanuel II. Waldenses (deprecantibus licet Helvetiis & Belgis) persequitur an. 62. 63. 64. Alexandro VII. anno ætatis 69. Pontificatûs 13. è vivis erepto An. 67. succedit septuagenarius Julius Rospigliosus Florentinus; dictus Clemens IX. Hunc calculo & hydrope extinctum an. 69. extremo, sequitur an. 70. Æmilius Altierius Romanus octogenario major, qvi in notam gratitudinis erga decessorem suum, à qvo inter Cardinales coaptatus erat, Clementis X. nomen assumsit. Ferdinandus Catholicus Castilliæ Rex mortuus an. 1252. in Sanctorum numerum reponitur. An. 75. Pontifex indicit Jubilæum. 76. moritur. an. 87. annorum senex. Succedit Cardinalis Benedictus Odeschalci Nobilis Mediolanus plus qvam Septuagenarius eligens sibi nomen innocentii XI. Hunc an. 79. Rex Galliæ offendit, ausus in Comitatu Burgundiæ, & aliis bello nupero acqvisitis lo-

locis beneficia ecclesiastica pro libitu conferre, more in Galliis recepto. Ob qvam causam, & qvod Jus illud Regalium etiam in Gallia; ultra qvam par erat, rex ampliaret, Pontifex an. 80. in Bulla Lutetiam missa, Archiepiscopi Parisiensis officium sacrum irritum reddere conabatur. Idem Bachanalia, quæ alias Romæ cum magna & detestabili impudentia celebrabantur, severe interdicit. an. 81. indignatur Clerum Gallicanum pro Rege suo in controversia de jure regalium pronunciasse. Librum de Historia Conciliorum generalium Edmundi Richerii Doctoris Sorbonici damnat. an. 82. ægerrime fert Cleri Gallicani sententiam contra auctoritatem sedis Papalis Parisiis latam & à Rege confirmatam an. 86. Vallenses Reformati à Duce Sabaudo instigante Gallo religionis causa oppugnantur, & ex patria pelluntur. Qvietistarum vel Molinistarum secta ex Theologia mystica nata, magnumqve applausum Romæ nacta condemnatur & auctor ejus D. Michael

de

de Molinos Sacerdos Romanæ Ecclesiæ, gente Arragonius in carceres perpetuos conjicitur an. 89. Innocentius XI. moritur, anno ætatis 78. postqvam sedem Papalem tenuisset annis fere 13. Successor eligitur Cardinalis Ottoboni, Patricius Venetus, Octogenarius, qvi nomen Alexandri VIII. Sumit: Nepotismum ab antecessore improbatum revocat. Valdenses in montana sua regrediuntur ope Helvetiorum & Hispanorum, militibus Sabaudis se opponentes.

In Turcia Sabatai Sevi Pseudo-Messias Smyrnæ exsurgens Judæis per universam Europam atqve Asiam, spem suam in illo repositam incautè prodentibus, coram Imperatore metu supplicii Mahumetanam superstitionem amplectitur; anno 66.

In Hungariâ Templa extorqventur Evangelicis anno 71. & 73. Anno 81. in Comitiis Sempronii habitis Hungari Evangelici supplices libertatem religionis petunt, parum obtinent. Templa in paucis urbibus retinere, aut alia sibi struere permittuntur.

In Prussiâ Thorunii ex æde S. Jacobi migrare coguntur Lutherani intromisis Monialibus; anno 67. Eosdem Thorunienses Culmensis inqvietus ex milite Episcopus hucusqve per aliqvot annos vexat. an. 89. Casimir Lisinsky Nobilis Polonus atheus suam impietatem etiam aliis persvadere verbis scriptisve ausus decollatur Warsaviæ & comburitur an. 90. Lis inter Culmensem Episcopum & Thorunienses in Comitiis in favorem magis illius, qvam horum componitur.

In Moscovia Synodus qvatuor Patriarcharum à Magno Duce, dum pro Filio regnum Polonorum ambiret, convocata, asseverat, Græcæ religionis homines si totos se Romanæ fidei addicant, salutem posse conseqvi. an. 68.

In Scandiâ nuper à Danis impetratâ Lundinii Academia Carolina inauguratur; an. 68. *In Dania* an. 88. Reformatis exulibus ex Gallia permissum est extruere Haffniæ templum, cujus fundamento ipsa Regina primum lapidem posuit.

In Angliâ Rex redux faciem Ecclesiæ, mur-

murmurante licet magna populi parte, format, qvalis sub anteceſſoribus fuerat, tum Hierarchiam Epiſcopalem, tum Liturgiam Eccleſiaſticam reducendo, qvam utramqve Cromvvellus abrogaverat. Subinde tamen Non-Conformiſtæ capita erigunt. Jeſuitæ & reliqvi ſacerdotes Pontificii è regno diſcedere jubentur an. 71. Conſpiratio Papiſtarum an. 79. adverſus Regem ſupra memorata eſt. Turbant adhuc Rempublicam & Eccleſiam controverſiæ Non-conformiſtarum cum Conformiſtis, qvorum illos his conſentire mandat. Rationaliſtarum & Latitudinariorum ſecta exoritur, qvorum hypotheſis princeps eſt: Theologiam oportere eſſe rationalem, & nihil eſſe admittendum in religione qvod non ſit rationi naturali conſonum an. 86. & 87. ſub Rege Jacobo II. partes Proteſtantium nutare incipiunt; an. 88. & 89. eriguntur à Wilhelmo Henrico Principe Arauſionenſi & Rege in locum Jacobi profugi conſtituto.

In Galliâ Reformatorum Templa de-

ſtruuntur. an. 61. Comes Turenius Reformatorum Patronus & aſſecla in extremâ ſenectute tranſit ad Pontificios Ordinem eqveſtrem Spiritus S. & Mareſchalli Franciæ dignitatem à Rege accipiens. Controverſia cum Janſeniſtis componitur an. 69. Carteſiana Philoſophia Pariſiis approbatur & docere permittitur. « Sorbona ſex Propoſitiones, qvas inter « ſunt de Papæ Infallibilitate, de Jure Re- « ges deponendi; de auctoritate Epiſco- « pos damnandi & deponendi ſine Concilio Nationali; damnatas tempore Alexandri VII. denuo improbat; an. 71. Poſt Pacem cum Germanis, Danis ac Belgis factam an. 79. Hugonotæ omnibus juribus privantur, qvæ cum aliis civibus paſſim habebant communia, templa eorum reliqva deſtruuntur, Scholæ claudũtur, jubenturqve liberos ſuos ſextum annum ſupergreſſos Monachorum & Jeſuitarum inſtitutioni committere. an. 80. Pariſiis convocati à Rege Epiſcopi conſultant de extirpanda radicitus in Galliis Religione Reformata. Nam ad magnitudinem nomi-

minis facere Regi persvaserant Jesuitæ & cæteri Clerici, si Cives suos vi ad religionem Romanensium amplectendam adigeret. an. 81. Reformati indies magis pressi in *A*ngliam, Hispaniam, Belgium, Germaniam multi migrant, ut liberos qvos Jesuitæ & alii Monachi contra voluntatem parentum auferebant, servarent. an. 82. Clerus congregatus Parisiis qvatuor articulos contra Papam asserit 1. *P*apam R. non posse subditos à juramento fidelitatis, qvo obstricti sunt Regi, absolvere. 2. Concilium Universale esse supra *P*apam 3. potestatem *P*ontificis Romani esse per Canones ecclesiasticos circumscriptam; contra qvos agere jure neqveat. 4. *P*apam in qvæstionibus fidei non esse *infallibilem*. Qvam sententiam Rex confirmavit, & Academiis Collegiisqve Theologicis mandavit, ne contra eam docerent. Subscribere detrectantes in exilium pelluntur aut incarcerantur. a. 83. Doctores Sorbonici à Rege jubentur confutare Episcopi strigonienses Censuram, qva qvatuor propositiones Cleri Gallicani superiori anno contra *P*apam publicatas

impugnaverat. Hugonotarum persecutio durat. an. 84. nova decreta publicantur, qvibus injungitur Hugonotis religionis suæ ejuratio. Mox an. 85. edictum etiam Nannetense ab Henrico Magno an. 1598. promulgatum, qvo Reformatis religionis libertas concessa fuit plane à Rege abrogatur. Adjunguntur Dimachæ sive Apostoli militares, qvi Regiis mandatis exeqvendis instructi magno numero in Reformatorum ædibus dispositi, horum sumtibus vivebant, immensis exactionibus eos exhauriebant, Nicotianæ fumo continuo, titillationibus, acupunctionibus aliisqve inauditis modis ad delirium usqve exagitabant, donec aut religionem abdicarent, aut mentis impotes fierent, vel plane morerentur, qvod ultimum tamen pro virili probibebant. Qvotqvot poterant evadere afflictissimi mortales, fuga sibi consulebant, numeratiq; de 17000000. in Gallia universa Reformatis circiter 500000. homines truculentas tortorum manus evasisse, qvi in Belgio, Germania, Dania, Svecia, Helvetia, Anglia recepti habitationes suas fixerunt. Lutetiæ thesis Legati Pontificii ædi-

ædibus cum Regis imagine adjunctaq; dedicatione ad Papam affigũtur, in qvibus Sorbonenſes defendere ſuſtinent. 1. *P*ontificis auctoritatem ultra ſpiritualia non extendi. 2. Nullum *P*rincipem in ſæcularibus ſubeſſe *P*apæ. 3. *P*apæ auctoritatem non eſſe majorem auctoritate Concilii, *P*apam verò ipſum ſubeſſe Concilio. 4. Decreta *P*apæ absqve Catholicæ Eccleſiæ conſenſu non obligare an. 86. Cum multi Reformati contra animi ſententiam *P*ontificiam religionem profiterentur, omnibus injunctum fuit; ut morituri Sacramentis Pontificiis uterentur, qvi id abnuerent, eorum cadavera per urbes raptarentur. an. 87. Reformati, qvi non ex animo *P*ontificiæ religioni adhærere comperiebantur, ad triremes damnati, aut in Americam miſi.

In Germaniâ Jeſuitæ Henricus Marcellus Bambergenſis & Jacobus Maſenius Colonienſis concordiam inter Pontificios & Proteſtantes, magno, ſed vano molimine tentant, dum uterqve ſuarum partium unicè ſatagit. Jenæ Tumultus oritur, Lüneburgi an. 60. & Weiſſenfel-

sæ an. 64. fundatore Augusto Principe, Gymnasia introducuntur. Cassellis auctoritate Wilhelmi Landgravii Hassiæ, Colloqvium inter Rintelenses qvosdam Theologos Lutheranos & Calvinianos Marpurgenses instituitur an. 61. qvo mutua & fraterna utriusq; partis, qvasi in fundamentalibus Fidei articulis ad salutem necessariis non dissidentis, Tolerantia fuit constituta. Duræus multas regiones obiens, Melletus, item Marchici Politici ac Theologi plurimi illum Syncretismum inter Lutheranos & Calvinianos promovere nulli parcunt operæ. At Witebergæ Calovius, Argentorati Dannhauerus, Gissæ Haberkornius, Tubingæ Wagnerus, aliiqve celebres Theologi alibi, acriter resistunt publicis in eam rem scriptis editis. Judæi Viennâ pelluntur anno 70. Synagogis in templa conversis. In Westphaliâ Herfordi Johannes de Labadie ex Monacho Jesuitâ Minister Ecclesiæ Calvinianæ per Galliam atqve Belgium, nescio ob qvam causam, vagus, Ecclesiam tandem colligit an. 71. ad qvam præter Prædicatores Calvinianos

mul-

multosq; plebejos homines accesſit qvoq; doctrinæ laude celebris Virgo, Anna Maria Schurmannia. Profitetur Dux & Auctor cœtûs, ſe neqvaqvam in doctrinâ à Reformatâ Eccleſiâ, ſed tamen in vitâ & moribus, qvod praxin Pietatis, Uſum Sacramentorum, auditum verbi, & inde eliliciendos uſus concernat, diſcedere. Schiſma ſe non facere, ſed ſi cogatur, pati non doctrinæ, verùm vitæ atqve morum. Hodie cum morte Magiſtri ſecta exſpiravit. Schurmannia, etiam agere inter homines deſiit an. 78. In Holſatia Chriſtianus Albertus Dux, Academiam Kilonienſem fundat; an. 65.

An. 76. Idibus Octobris Academia Julia *jubilæum primum, ſeu memoriam ſæcularem recolit.* Inter Calixtum Juniorem & Calovium Diſputationes de Syncretiſmo recrudeſcunt, Principum auctoritate inhibentur. Johannes Georgius II. Elector Saxoniæ d. 7. Junii convocatis præcipuis ex Academia Lipſienſi & Wittebergenſi Theologis feſtum ſæculare in memoriam compoſitæ Formulæ Concordiæ celebrat, eosdemqve ad ſer-

vandam in ea præscriptam cohortatus est. An. 77. d. 23. Octobr. Academia Tubingensis festum sæculare secundum egit. an. 80. Elector Palatinus Carolus Ludovicus in Palatinatu templum novum Concordiæ exstrui curavit, in cujus consecratione trium religionum in Germania, per instrumentum Pacis Osnabrugensis receptarum Ministri singuli partem sacrorum simul obire jussi sunt ad concordiam significandam: unus textus Biblicos prælegit, alter concionatus est, tertius formulas precum recitavit. Argentoratenses Galliæ Regi se subjicientes Cathedrale monasterium Pontificiis cedunt. an. 85. Persecutio Protestantium ex Gallia in Alsatiam usqve progreditur. Nam & hic templa iisdem ademta Romano-Catholicis traduntur, & Nobilitati denunciatur, ut avitis cedant possessionibus & honoribus, nisi Romanam Catholicam amplectantur religionem. Argentorati viri qvidam præcipui ad Pontificiam ecclesiam acceduut Evangelica repudiata. Consul vero primarius Dieterichus mavult Regis iram incurrere,

ac

ac in exilium ire, qvam fidem ſuam abnegare. Jeſuitæ interim conciliationem Auguſtanæ Confeſſionis cum Eccleſiæ Gallicanæ articulis tentabant, publicis eo de argumento concionibus ad populum inſtitutis. Archiepiſcopus Salisburgenſis Auguſtanæ Confeſſioni addictos in valle Tirolina, qui diu veluti Nicodemitæ quidam latitaverant, ejicit. Elector novus Palatinus Philippus Wilhelmus Dux Neoburgicus, Pontificiæ Religioni addictus, Proteſtantibus se benignum exhibet, & in poſterum fore promittit, templa etiam nova ab iisdem ædificari in ſuis provinciis concedit.

An. 86. in Alſatia Evangelici Paſtores, qvi auditores ſuos ab amplectenda Pontificia religione dehortati erant, Argentoratum deducti & in vincula conjecti ſunt. In ipſa etiam civitate Argentoratenſi templum rubrum Pontificiis tradi oportuit.

An. 87. Argentorati templum S. Stephani Pontificiis addictum; integri pagi prope urbem ad Pontificios deficiebant

spe immunitatem consequendi à tributis & exactionibus militaribus. Edicto regio jubenturSacerdotes Pontificii, cum abesse contigeret Pastores paganos Evangelicæ religionis vices ipsorum obire concionando, Sacramenta dispensando, & cætera facere munia, vicinis Evangelicarum Ecclesiarum ministris ab ejusmodi vicariis operis penitus exclusis.

In Belgio an. 75. Curatores Academiæ Leidensis Cartesii philosophiam, qvæ Theologiæ admiscebatur, proscribunt, ideo Cartesiani Theologi se Coccejanis D. Johannis Cocceji apud Leidenses Professoris Theologiæ assecliis, juxta novas hypotheses qvasdam explicationem Scripturæ facientibus se adjungunt.

Antonia Burignonia virgo Enthusiastica, an. 1616. in Flandria nata, in Belgio ac Holsatia spargens, ad ultimi Evangelii prædicationem, renovandamq; vitam ei convenientem se delectam, & in Apocalypsi Johannea præfiguratam, paucos nacta assecias morari inter homines an. 80. desiit.

Duo

Duo in alterâ, tertiâ & hac qvarta ſynopſeos hujus Continuatione advertis, Benevole Lector, qvæ vel à celeberrimo Polyhiſtore Joñſtono Auctore, vel à primo Continuatore aliena ſunt. Unum eſt diffuſior qvodammodo rerum narratio; alterum, qvod tempus, qvo qvidvis geſtum eſt, adſcripſerimus. Neutrum à Te ægrè ferri confidimus. Si enim non datur per ſumtuum aut temporis defectum tot Theatri *Diariive* Europæi volumina parare v. perlegere, hîc in compendio invenies, non ſolum res geſtas, ſed & earum momenta præcipua. Sin in ſpatioſiori hiſtoriarum campo verſatus in hanc Epitomen incideris, non ingrata te olim lectorum tanget recordatio. Et cum in hoc negotio Chronologia qvaſi lumen ſit, nos adeò multa diverſaqve aliis locis, alio qvoqve tempore acta, qvæ ſe tamen mutuò tangunt, ſine adnotatione temporis eſſe noluimus. Cæterum DEUM precamur, ut diſperſis gentibus, qvæ bella amant, pacem tot votis anxiè expetitam reducat, & conſervet nobis, donec vivimus!

Hi-

HISTORIÆ QVARTÆ MONARCHIARUM AD Colossum Danieliticum Applicatio.

CAPUT I.

De qvatuor Monarchiis in genere.

QVatuor illa à Daniele descripta Regna, qvæ recte qvatuor Monarchiarum, nempè *Babylonicæ*, *Persicæ*, *Macedonicæ* & *Romanæ*, exprimuntur nominibus, qvædam generalia attributa habere videntur, specialia qvædam. Nam qvia sub figuris, & belluarum, è turbato à ventis mari prodeuntium, & hominis, desideratissimo Viro revelata sunt, turbulentam originem, & truculentam, humanitate tamen temperatam bestialitatem sortita

tita videntur : qvia Regnum qvoddam temporibus illorum excitare volebat DEUS, qvod duraret in secula, circa Ecc esiam occupati, illamqve modò turbare modò resocillare debuisse existimantur : qvia deniqve sub imaginibus, tùm *Leonis, Vrsi, Pardi & Bestiæ* decemcornis, tùm Colossi ex diversorum metallorũ materia constituti, exhibentur, propriâ qvadam ratione qvantitatis & qvalitatis, ex applicatione resultantia, nec tamen nimis curiose indaganda, obtinuisse putantur. Et certè hæc ita sumpta, si qvatuor imperiis applicentur, exactè illis conveniunt. Nam qvantum ad *turbulentam originem*, (res est de origine immediata, non remotiore, secundum qvam Babylonicum sub Nabonassere, Medicum sub Arbace, & Phul-Belocho, Macedonicũ subCarano primum, pòst Philippo, Romanum sub Romulo cœpit) incunabula *Babylonicæ* Panolethria Judæorum dedit Primordia : *Persicæ* Medorum sub Astyage. Lydorum sub Crœso, Babyloniorum sub Dario Medo ruina : *Macedonica* oppressione Persicæ sub Dario Codomanno crevit. *Romana* omnium

um ferè surrexit exitio. Bello n. civili, qvod Pompeji & Cæsaris excitavit ambitio, totum qva in Oriente & in Occidente patebat imperium, qvasi inflammatione qvadam correptum fuit. Commissum qvidem in Italia; tamen inde in Galliam etiam, Hispaniamqve deflexit; & reversum ab occasu totis viribus in Epirum, Thessaliamqve concessit: Hinc in Ægyptum subitò transiliit, in Asiam respexit, Africæ incubuit, postremò in Hispaniam migravit, & ibi aliqvamdiu defecit. Occiso verô in Urbe Gæsare, concussa iterum Ægyptus, Sicilia & Hispania in formam Provinciæ redactæ sunt. *Truculentiam* eorum qvi cognoscere cupit, acta Monarcharum in omnibus evolvat. Videbit in Babylonica Regum exoculationem, piorumq; exustionem, conspiciet in Persica Cambysem fratrem & sororem interficientem, Darium Histaspidem Dejobacis filios obtrucantem. Animadvertet in Macedonica Clyti & Parmenionis internecciones, Syriæ Regum post Antiochum Epiphanem mortes, Ægyptiorum incestus,

Ptolo-

Ptolomæi Philometoris, & Antiochi Epiphanis insaniam: Ptolomæum Evergetem II. filium ex sorore susceptum interimentem, corpusq; in membra divisum, & in cista compositum, die natali matri mittentem, detestabitur. In Romana etiam triplici, ut post apparebit, monstra potiùs hominum multi erant qvàm homines. Tiberius rectè lutum sangvine maceratum vocatur, Caligula ne à sorore qvidem & ex ea nata abstinuit. Nero Matrem & Præceptorem sustulit; Christianos in usum nocturni luminis ustulavit. Caracalla Patrem interficere voluit, Getam Fratrem in gremio matris interfecit, fautores ejus per triennium mactavit, tandemq; se sciens cum *Julia* Matre, sicut Oedipus inscius cum *Jocasta*, commisit, ut interim nihil de *Heliogabalo*, & aliis sub *Diarchia* & Polyarchia Imperatoribus, dicam. Post intercisionem Imperii Phocas & Justinianus II. inter Imperatores: Longinus & Johannes Lemigius inter Exarchos, Aistulphus inter Longobardos, Lotharius inter Francos, Henricus Henrici IV. filius inter Germanos,

manos, pleriqve inter Pontifices, exemplo esse poterunt. Sub Arnulpho, Baronio teste, sedebant Romæ homines monstrosi, vita turpissimi, moribus perditissimi. Tacebo interim de Græcis, Saracenis, Turcis; & præteriti seculi moderniqve reticebo exempla. Insignem eorundem fuisse *humanitatem*, Darii Medi in Chaldaica, erga Danielem favor, Cyri universa in Persica vita, Artaxerxis Longimani clementia, Alexandri in Javanica continentia, Ptolomæi Lagidæ justitia, Philadelphi in literas amor, Augusti in Romana omnigenæ virtutes, Titi beneficentia, Trajani fortitudo, Constantini M. in Religione zelus, Caroli M. erga studia favor; Henrici IV. magnanimitas; ut interim Rudolphum Habspurgicum, Maximilianum, & alios præteriti & præsentis, in Gallia, Britannia, ævi Monarchas silentii velariis involvam; sufficienti documento esse possunt. *Ecclesiam* qvod attinet, verè erat alcyon in medio mari, & hirundo in sinu Medeæ nidificans. Nam Judaicam Ecclesiam Nebucadnezar in captivitatem abduxit,

duxit, Evilmerodach & Belzasar in eadem detinuere, Darius Medus aliqvanto laxavit, Cyrus remisit, Cambyses iterum cohibuit, Darius Nothus plenariè reduxit, Alexander reductam confirmavit, Ptolomæus Lagidas & Seleucus Nicanor per Ægyptum & Syriam dispersere, *P*tolomæus *P*hilometor & Antiochus Epiphanes graviter oppressere, Maccabæi fortiter defendere, *P*ompejus prophanavit, Schilo sub Augusto renovavit. Nero renovatam in solitudinem pepulit: in qva tamdiu delituit, donec post tempus, tempora, & dimidium temporis, seu ducentos qvadraginta qvinqve annos à Constantino M. solemniter reduceretur. Qvid cum ea interim & post à temporibus Nervæ actum sit, *J*ohannes in *P*rophetia Apocalyptica prædixit. In hac enim, primò in Epistolis ad VII. Ecclesias *A*siaticas scriptis, typum cùm illius ævi, tum omnium alias Ecclesiarum exhibuit: deinde partim per Sigilla, partim per Tubas partim per *P*hialas, tres post se secuturas Ecclesiæ periodos constituit, illasqve

qve Danielis exemplo singulas septem annorum septuagenis (ubivis namq; septenarium observat numerum)definire videtur, ut in seqventibus dicetur. Alias Persica Monarchia parum circaEcclesiam occupatur, & potius ad amœnisima Asiæ latifundia,qvàm ad illam occulos suos reflectebat.

CAPUT II.

De Monarchia Babylonica.

CÆterùm ut ad specialia uniuscujusqve attributa, ex applicatione depromta, accedamus, *Assyriaca* seu *Babylonica* Monarchia in *Nebucadnezare* ponitur. Nam illi, qvæ in Sardanapalo finita nihil ferè negotii cum Ecclesia fuit; nec potest capitis ad reliqva membra minor proportio tamdiu duranti adscribi imperio. Nebucadnezar autem, & caput *Aureum* est & Leo, ut Daniel exponit. Non enim tantum ossa populi Judaici, qvæ *Assyrii* sub Salmanassare carne privaverunt, excidio Urbis & Regni, translationeqve populi, comminuit; sed etiam Monarchiam illam à Nabonassare erectam in summam deduxit, vim

&

& fundamentum illius in sua persona, arbitrio, virtute & fortuna retinens, Duæ alæ sunt Evilmerodach & hujus ex sorore Nitocride nepos Belsazar. Hi Nabuchodonosorem, post mortem ultra sortem evexêre. Darius Medus verò, qvia singulariter mitis, otio, ac ætate torpescens, nec à *Persarum* & Medorum jure abhorrens, regnum amisit; speciem Monarchiæ ita mutavit, ut tanto nunc mitior sit in hostes, qvantò antea ferocior fuit in omnes. Verbo: Verè tum Leo Danielis Babylonicus stetit supra pedes, instar hominis, & cor humanum accepit.

CAPUT III.
De Monarchia Persica.

MOnarchia Persica per *Thoracem Ursum & Arietem* significatur. Bina *Brachia* in Colosso, *Armi* in Urso, *Cornua* in *Ariete*, duo indicant Regna Medicum & Persicum. Medorum enim & Persarum magna præ cæteris subjectis nationibus fuit libertas: magna in rebus, regni curam spectantibus, authoritas. Idcircó

circò decreta publicum Regni ſtatum, concernentia, qvando rata debebant haberi, iſtarum rationum nomine promulgabantur. Qvia tamen Medicum ante Cyrum ab everſione Aſſyriaci ſub Tonocõcolero ſeu Sardanapalo clarum fuit, Perſicum cum Cyro, qvi Cambyſis Perſæ ex Mandane Aſtyagis Medi filius, cœpit: illud per altius cornu, hoc per humilius ſine dubio figuratur. *Cor* & *prima Coſta retorta* fuit Cyrus Auctor Monarchiæ Lydorum, Babyloniorum, & Medorum ſubactor, terrarum omnium inter Indum & Nilum, Oceanum & mare Caſpium devictor & Principis perfectiſſimi exemplar. Non tantum enim in eo prudentia, fortitudo, & clementia, ſed & modeſtia, diligentia, juſtitia laudatur. *Cardialgiæ obnoxium cor. Secunda* tamen *Coſta retorta* fuit Cambyſes. Nam hic authoritatem Regni devictis Ægyptiis, & capto Pſammenito, ſtabilivit. At qvia contra Æthiopas, Macrobios, Carthaginenſes & Ammonios cum damno egreſſus eſt: tum etiam Smerdim

dim fratrem & sororem è mediò sustulit: violavit eandem, à vestigiisqve parentis secesit. Darius Histaspides, & Xerxes, *duas solidas* constituunt *costas*: sed iste *pleuritim* & *Astma* pectori Persico induxisse videtur: ille non item. Darius enim Babylonios rebellantes compescuit. Thraciæ maritimam oram per Megabyzum devicit. Joniam, duce Aristagorâ rebellantem, recepit, & qvamvis probrum expeditione in Scythas acqvisivisset: à Miltiade in campo Marathonio ingenti clade affectus esset: ita tamen se gesit, ut nunqvam apparatu destitueretur. Xerxes verò etsi Ægyptios rebellantes, compescuit: tamen ingenti illo exercitu (septingenta millia de regno, trecenta de auxiliis, & decies centum mille naves numerabantur) intra biennium, idqve non totum, amisso, ita vires regni enervavit, ut nec Sardibus in Cilicia commorari, sed ad interiora se recipere cogeretur. *Tres pectorales costæ* Artaxerxi, Longimano, Dario Notho & Artaxerxi Mnemoni tribuuntur. Ille qvidem Ægyptios

gyptios post patris cædem rebellantes sub pristinum jugum redegit : tamen maris imperio Athenienſibus permiſſo, Græcisqve Coloniis per Aſiam liberis eſſe jusſis, aliqvid amiſiſſe exiſtimatur. Darius *Pulmoni* etiam ſimilis eſt. Nam ſub eo ſubditis etiam reſpirare conceſſum fuit. Unde & Judæi in ædificatione templi ſtrenuè proceſsêre, & Ægyptii rebellantes qvietem habuere & in Aſia beneficio fœderis cum Lacedæmoniis percuſſi, omnes Urbes receptæ ſunt. Eqvidem nec per Pharnabazum & Tiſſaphernem per fraudes Alcibiadis diſtractos, qvicqvam effectum eſt; nec per Cyrum juniorem multum: Integer tamen pulmo manſiſſe, corrumpi ſub Artaxerxe Mnemone cœpiſſe, videtur. Et certè iſte, fratre Cyro victo, Ageſilaum, qvi non Aſiam minorem modò ſibi conciliavit, ſed etiam in majorem tranſire, ac de ſumma rei cum Artaxerxe dimicare conſtituit, non niſi corruptis ingenti pecuniâ ſagittarium inſculptum habente, Græcis ejicere potuit. In Cadurios profectus, ſalutis diſcrimen cum toto Exercitu ſubiit, & plurimis amiſſis

misis vix ipse Tiribari stratagemate evasit. Rebellarunt ei tandem tùm maris Asiatici accolæ, tùm Satraparum nonnulli: Tachos verò Ægypti Rex bellum intulit. Ultimi Monarchiæ *nothis* indigitantur *cognitis*, & antepenultimus cum penultimo ulcus pulmonis, ultimus verò Syncopen ostendere videtur, *Artaxerxes* enim Ochus nihil ferè laude dignum gesit, Sidonis excidium, Ægyptiorum qvartum, & gravissimum jugum, si excipias: imò parricidia horrenda exercuit & miserè mortuus est. Narratur enim felibus esse projectum cadaver, & loco ejus aliud sepulturæ traditum, ac ossa in gladiorum manubria esse conversa. *Arses* tres annos regnavit, & per Bagoam Ochi interfectorem, cum tota stirpe Regia, sublatus est. Darius deniqve Codomannus tribus prælis ab *Alexandro* ad Granicum Amnem, ad Issum fluvium, ubi ex 400. peditum & centum Eqvitum millibus tertia pars amissa, ad Gangamela deniq; victus, & Besi conspiratione interfectus, mortem Monarchiæ intulit. Alias fata-

lis huic Monarchiæ terminus fuit Helleſpontus.

CAPUT IV.

De Monarchia Macedonica.

MOnarchia Javanica ſeu Macedonica *ventriculo imo* aſſimilatur, ſed Regem illius primum *Pardo* figurare voluit Spiritus Sanctus. Et certè ſplendoris carentia, robore, celeritate, exitu denique optimè cum eo convenit Alexander. Viliorem præ Hephæſtione ſtaturam vel ignorantia Syſigambis oſtendit; robur, de hoſtibus nunqvam non parta victoria. Cum nullo congreſſus eſt, qvem non vicerit, nullam urbem obſedit, qvam non expugnaverit, nullam gentem adiit, qvam non calcaverit. De celeritate ultimum triennium teſtatur. Tum Choraſmios & Dahas in deditionem accepit, Cleoſida reginam ſuperavit; peragrata India *Po*rum ſecundum ſe ab eo fateri coegit. Inde Adreſtas, Geſteanos, *Præſidas*, Gangaridas cecidit. Unde Symbolum Μηδὲν ἀναβαλλόμενος. De exitu ipſe Eventus oſten-

ostendit. Ut enim Pardi non nisi ebrii capiuntur; sic ille apud Thessalum Medicum convivio præsens, nondum Herculis scypho epoto, repentè velut telo confixus, ingemuit, & paucis pòst diebus, fato domus suorum majorum considerato, qvorum pleriqve intra trigesimum annum abivere, mortuus est. Post mortem illius occisis Aridæo fratre, & Hercule ex Barsinone, Alexandrulo ex Roxane filiolis, *qvatuor alæ qvatuorq; capita* tandem apparuêre. Cassander enim Europæ, Lysimachus Thraciæ, Ptolomæus Ægypto, Africæ, & Arabiæ, Antigonus toti Asiæ præfectus erat. Attamen Spiritus Sanctus Regem Austri seu Ægypti Ptolomæum Lagidam, & Aqvilionis seu Syriæ Seleucum Nicanorem inter primos divisores ponit, eorumq; inter se successoribus fortunam, usqve ad Antiochi Epiphanis (qvi Antichristi Historiam continet) exitium, luculentissimè describit; ita ut hæc duo Regna fuerint duo illius Monarchiæ latera, & in medio, ratione situs, Macedonicum Regnum collocatum fu-

erit. Aliàs nec Ptolomæus Lagidas, Philadelphus & Evergetes, *hepati*, *ſpleni*, & *ventriculo* ſunt diſſimiles. Lagidas enim ita ſuum ſtabilivit Regnum, ut à morte Antigoni ac inprimis poſt decem poſtremos regni annos, nemo eum domi turbaret. Seleucus etiam non tantùm urbes extruxit, & Judæos in eas transtulit; ſed etiam Thraciam, occiſo Lyſimacho, occupavit. Philadelphus ſingulari amore meliores complectebatur *literas*; & bella cum Antigono Macedoniæ Rege, & Antiocho Theodone Syriæ, haud infeliciter geſſit. Evergetes autem non ſolum Aſiaticas Urbes, parricidium Seleuci Callinici, in Berenice noverca & filiolo ejus commiſſum, deteſtantes, deficientes accepit; Sed & Seleucum ipſum poſteà vicit; nec, illo mortuo, à Seleuco Cerauno filio attactus eſt. Et Ptolomæus Philopator vel *Apepſiæ* vel *inteſtinis* comparari poteſt. Non tantùm enim ab Antiocho M. in duplici expeditione vexatus eſt; ſed etiam eo devicto, cum Urbes certarent, ut in dedendo ſeſe vicinos prævenirent, maluit perſe-

perſecutionem in Judæos inſtituere, qvàm Syria tota potiri. Antiochus verò Magnus *Bulimiam* repræſentat. Nam & Ægypto ſub Philopatore & Epiphane inhiavit, & tota Syria expulſis illius præfectis potitus eſt, & Achæum omnibus, qvæ in Aſia habuit, exuit, & in Parthis, Hircanis & Bactrianis ſibi obſtringendis multum laboravit, & Phœnicia tota, anno Epiphanis ſeptimo recepta, in Europam trajicere, & Aſiæ Urbes ſibi ſubjicere tentavit; tandem templum Belli apud Elymæos ſpoliare voluit. Antiochi Epiphanis Hiſtoriam Daniel accuratiſſimè deſcripſit, *Cl. Graſerus Senior* cum Antichriſto contulit. De cæteris curiosè indagare nolo, cum præſertim eo usq; tantùm prophetia capitis undecimi decurrat. Videntur tamen Syriæ poſt illum Reges *exqviſitæ dyſenteriæ* ſimile fuiſſe. Tamdiu enim ſe invicem trucidabant, (Athletis conferendi, qvos cum defeſſi ſint certamine, pudet tamen adverſariis manus dare, & refovent ſe per intervalla ad reſtaurandum certamen) donec populus Syria-

cus mutua illorum odia pertæsus in Tigranem consensisset. Ægypto perniciosum semper fuit fœminarum Imperium. Nam ut sub *Philopatore Evergeta. II.* Lathyro ac Auleta turbas dedêre; sic Cleopatra exitium eidem approperavit.

CAPUT V.

De Monarchia Romana.

MOnarchia qvarta *inferioribus* in Colosso *artubus, & belluæ ferreis dentibus instructæ, ac omnia comminuenti*, haud sine causa comparatur. Nam primo comminuisse eam omnia imperii pomœria, qvæ jam tum, cum cœpisset, habuisset, sufficienti sunt documento.

Nil de Attali Regno, & Lybia universa, legatis, devicto Mithridate, Asia, Ægypto, deniq; sub Augusto adjecta, dicam. Devicta fuit Macedoniâ à *Perpenna*, Achaja à Mummio, Numidia à Cæsare, Mauritania ab Augusto, subacta Africa & Hispania à Scipione, & C. Domitio Calvino; Gallia Narbonensis ab Ahenobarbo, post devictum Vercingentorigem,

omnis

omnis illa, qvæ à Saltu Pyræneo Alpibusqve & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, patetqve circiter ab his & tricies millia passuum, præter socias Civitates, in Provinciæ formam à Cæsare redacta; cui etiam Britannia & Germania debetur. Et revera *decem* illa *Cornua & totidem in pedibus digiti*, decem Regna sunt, qvibus Romanum Imperium primò conjunctim superbiebat. In Oriente Syria, Asia, Ægyptus, Africa, & Græcia: in Occidente Italia, Germania, Gallia, Hispania, Britannia, aut si hanc Galliæ accensere libet, Illyricum.

Deinde habet ista Monarchia aliqvid, qvo & *femoribus illorumq; interciſioni, & tibiis harumq; interſectioni*, & *pedibus* similis esse videtur. *Femorum* similitudo non tantùm ex diversis Orientis & Occidentis rationibus apparet; sed etiam ex eo, qvod, qvamvis ducentos annos sub Monarchis fuerit, illa tamen propriis humeris tantam tanti regni molē ferre non potuerint. Unde in Historia *Augusti* adjutores Drusus & Agrippa, in M. Antonii

Veri, Lucius Verus; Qvin postea orta Dyarchia qvatuordecim Imperatorum, mox qvadruplex Imperii (prima inter Licinium & Constantinum, altera inter Constantini filios & alios, tertia sub Valentiniano & Valente; qvarta inter Arcadium & Honorium Theodosii filios (divisio. *Magnitudo* etiam in *Exortu femori* competens, constitit Romanæ Monarchiæ in Oriente & Occidente ab Augusto usqve ad Trajanum. Sed qvæ in Germania, Britannia, & Armenia incursiones factæ, repulsiones potiùs vim inferentium, qvàm offensiones Imperantium dicendæ sunt. Trajanus strato ingenti ponte Danubio in Septentrione, trajecto Euphrate in Oriente, Romani Imperii latifundia dilatavit, & anno Christi cxv. Urb. cond. DCCCVII. summum illius apicem attigit. At post eum cœpit *magnitudo illa paulatim deponi*, & *in angustiorem cogi circulum*. Sub Hadriano enim in Oriente ex Mesopotamia, Assyria, & Armenia præsidia revocata, illi liberi pronunciati sunt. Persa Artaxades Arsacidis Imperium eripuit,

puit, & qvædam alia ab ejus posteris, de qvibus in Historia, acta, donec per irreptionem Græcanicorum hominum, qvorum primus Leo, qvi Martiano successit, fuit, intercideretur. In Occidente à Marcomannis, Qvadis, Sarmatis, Gallis, diverso tempore itta attritum est imperium, ut non tantùm Africa à Genserico occuparetur, & exinde in Hispaniam & Italiam fierent excursiones, *A*laricus Gothorum Rex & Rhadagisus Scytha in Italiam penetraret, sed & Godegisilius in Galliam nullo obstante, irrumperet. *At*tilla *A*qvilejam expugnaret, Honorium Ravennæ obsideret, & tandem Odoacer Herulorum Rex *An.* Christi CCCLXXVI. Urb. cond. MCCXXVIII. vere novo Danubium transgressus, Italiam occuparet, regnumqve ibi constitueret. Et tum *intercisum fuit Romanum Imperium in Occidente. Articulationem femoris cum tibia* Justinianus adimplevit. Hic enim duce Belisario, Gilimere Vandalo in *A*frica devicto & capto, per Narsetem Eunuchum, Gothorum Regno in Italia fine imposito,

imperium restauravit, & intercisioni, qvæ per L. annos duravit, finem imposuit. Qvia tamen articulatio illa exacta esse neqvivit, & *patellam adjunctam* habet, retinuerunt Saxones Britanniam, Franci ter, ipso imperante, incurrerunt in Italiam. Westgothi intacti manserunt, & post eum restaurationi illi, patellæ instar, Justinus II. Tiberius & Mauritius ejus gener adhæserunt. Post mortem Mauritii cœpit Romanum Imperium aliqvid simile habere *fibulæ & tibiæ*, tàm in Oriente, qvàm in Occidente. Ibi enim erat Regnum Imperatorum Constantinopolitanorum, qvod primo indivulsum ab Occidente, sub Leone Isaurico à Pontifice Romano excommunicato, divelli cœpit, sub Irene vel potiùs Nicephoro per coronationem Caroli M. Romæ factam divulsum, sub Leone *Amoræo*, Balbisqve ejus successoribus Comnenis, & aliis ad Flandrorum & Francorum adventum perstitit. Hi demum, duce Balduino, ab *Alexio*, ut juncti cum Venetis viribus se Imperio restituerent, persvasi, classe ex Dalmatia

ad

ad Bosphorum Thracium adducta, & catena ferrea sinui Peram à Byzantio dirimenti obtensa, rupta, *Alexium* Imperatorem cum cæco patre Isacio, ereptæ dignitati primum restituerunt; sed pòst cum stipendia Latinis solvi non possent, & illis ferociùs agentibus, seditione excitatâ, Nicolaus Canabus à populo *Alexio* substitueretur, *Alexiusqve* Ducas, cognomento Murruphilus, amoto utroqve, Imperium invasisset, captâ urbe Græcorum Imperium ad sexaginta annos intercideruntPræterea regnante Heraclio Mahumetus Coranum suum spargere aggressus, occupatâ Mechâ, alterum erexit regnum, à cujus fundamentis prophetia Danielica de *Cornu* illo, *qvòd inter decem parvum nasci, sed tria ex illis decem mox convellere debuit*, cœpit adimpleri.

Et certè, qvamvis varia hujus Regni fortuna in posterîs fuerit; & non tantùm tùm à Michaële Leonis *Amorræi* nepote, ductu *Petronæ*, tùm à Basilio Leone & Romano sæpiùs vincerentur;

sed etiam ipsi inter se, constituto à Mamluchis seu Turcomannis Syriæ Rege achmat, filio Tolonis, qvi Mammonis Caliphæ servus erat, asignatisqve Abasidis (Abasidæ fuerunt posteri Abasi, Abubecheri primi Caliphæ, à qvo post Ali qvartum Calipham Caliphatus à Mavia ejus filio & Jesid Nepote, ad Martianem filium Elhacham, & decem ejus posteros, qvorum ultimus Marvan, devenit, filii; & cœperunt, interfecto Marvane isto decimo Elchachami successore, qvod Abraham Sacerdotem, qvi erat de posteritate Abasi, occidisset) in Bagded seu Seleucia; Tolonis posteris in Ægypto, sedibus; Caliphatu diviso, mutationem facerent; imò Duce Tagrolipice, Turco illi, qvi in Arabia, cæso Machumete Persidis, & Chorarmiorum Principe, regnum perderent: tamen Ægyptum & Syriam (qvanqvam ab Argonautis vexati) obtinuere; donec Bagded vastata est, Musteatzes Calipha ab Halacho, qvi & Ulan Chan dicitur interficeretur, & Elmutamus Saladini abnepos in Ægypto aqva & igne periret

Azed-

Azeddinq; Ibik in ejus locum substitutus, Mamluchorum regnum, qvod sub Tomumbejo à Selymo Turca eversum est, fundaret. In Occidente *duplex* etiam erat *Imperium:* Unum tùm *Exarchorum*, qvod in Longino primo præside cœpit, in Eutychio, exactis centum octoginta annis, finitum est, tùm *Longobardorum*, qvod sub Justino ortum, post ducentos annos à Carolo M. eversum; tùm *Francorum* qvod in Carolo M. incunabula, in Arnulpho exitum sortitum est: tum *Germanorum*, qvod in Saxonibus, Franconibus, Svecis, tam diu duravit, donec per interregnum septendecim annorum intersecaretur. Alterum erat *Romanorum Pontificum*, qvod sub Phoca cœpit in Leonis Isaurici Excommunicatione, Italiæ ac Hesperiæ ab eo abductione, cum Rachisio pace, Constantini VI. responso, (respondit autem hic, cum à Stephano P. R. de auxiliis contra Aistulphum Longobardorum Regem sollicitaretur: habens arma secularia, & nervos Imperatoribus ereptos; Defensate vos ipsos) Caroli M. Coro-

Coronatione, evidenter apparuit; in Hadriani III. decreto, Henrici IV. Friderici Barbaroſſæ, Henrici VI. Friderici primogeniti, Friderici Ottonis Brunſvicenſis actis confirmatum eſt. *Primum* autem ex *mari doctrinæ emerſit*, poſtea *ex terra potentiæ* prodiit, enſe potens gemino. Utrumqve regnum, Machumedicum nempe & *Pontificium*, Spiritus S. in Apocalypſi ſub bicorni beſtia, illaqve Religionis cucullo obvelata (cornua enim illa agni ſimilia) proponit, & ita deſcribit, ut evidentisſimè, illam eſſe, qvæ populum Catholicæ Eccleſiæ, olim laſcivientem, in graviſsimam animi corporisqve ſervitutem adegit: hodiè verò ad libertatem adſpirantem durisſimè premit, turbat, & perſeqvitur, appareat. Poſt hanc R. Imperii interciſionem, ortum eſt aliud ejus genus *Pedibus* ſimile. Ut enim iſti initiò coarctantur, mox in majorem amplitudinem excurrunt, tandem in qvinqve digitos deſinunt; ſic & hic ſe res habet. Sub Rudolpho Habſpurgico, qvi primus in hac Imperii reſtitutione fuit, ſola Germania

mania Imperio erat relicta, cum antehac Italia & Gallia ei concessa fuisset. Amplius paulò cæpit reddi sub Henrico VII. Comite Lucemburgico, qvod ex ejus in Italia actis facillimè colligitur; at sub Carolo V. qvia cum plerisqve Provinciis & Regnis negotium habuit, ad summam deveniſſe latitudinem haud immeritò cogitari posset.

De pedibus dictum superius. Aliàs *ferrum* hic fuisse incrementa ipsorum, Hispaniæ præsertim ostendunt; at *cum argilla* idem mixtum; disjunctio, qvæ nunc cernitur, nihil obstante per humanum semen commixtione, evidenti est argumento. In Oriente fuêre, Constantinopoli Græci ad Emmanuelem, qvi captâ à Machumeto anno Domini 1453 Constantinopoli, sive pugnâ inter hostes, sive afflictione, inter fugitivos periit. Qvoad Turcicum autem Imperium, Aladin II. sibi per Tartaros ereptum, recuperavit; & post Othmen insignia regni, vexillum, ensem, & indumentum accepit, rexq; constitutus est. Hujus posteri Sa-

racenicum regnum longè faciliùs, qvam vel Marianidæ vel Ahasidæ in primo Calipharum genere propagarunt, qvod ex Solymanni & Selymi gestis patet. An verò illud Imperium *scoparum dissolutarum* instar sit, & in *qvinq; digitos exiverit*, colligere facillimum est. Scindi per irruptiones Persarum videmus. De cætero, qvæ de regno in secula mansuro, lapide in montem conversо, & regna convellente dicuntur, Deus novit. Omnis Prophetia ante eventum ænigma est, citiùs impletur, qvàm intelligitur. Qvidam singularem Ecclesiæ in his terris felicitatem promittunt. Utinam! Ego hîc cum Cl. Grasero, ex cujus mente ista scripsi, desino, & Deo omnia commendo.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

Ad

Prophetiam Apocalypticam

applicatæ Synopsis.

CAPUT I.

De statu Ecclesiæ sub Augusto *& ejus posteris.*

TErtio *Augusti* decennio currente, cum finiretur annus Mundi 3947. natus est promissus ille mundi Salvator, *Schilo & Unctus Domini, ex virgine Maria, Josepho desponsata,* & habuit metatorem hospitii summum illum Monarchum *Augustum.* Neqve enim Deipara virgo *Bethlehemum* locum nativitati ejus filii, jam pridem indicatum, ventura fuisset, nisi circa illud tempus *Imperator* iste, ex curiositate qvadam, ut tum videbatur, sed ut eventus docuit, ex arcano providentiæ divinæ consi-

consilio, *Qvirinium* extra ordinem, ad censuales tabulas in *Syria* & *Judæa* conficiendas, misisset. Sex ante eum mensibus natus est *Hebrone Zachariæ*, muto ob incredulitatem facto, & *Elisabethæ* effœtæ, *Johannes*, & ut *antea motu salutavit, qvem voce non potuit, ita tunc vocem patri suo retulit.* Gratulari sibi de hoc regis & Servatoris sui adventu debebant *Judæi*: sed illi tùm toti erant in jugo servitutis externæ à suis cervicibus depellendo, & varias contra *Herodem* molitiones, contra *Romanos* seditiones instituebant. Illis itaqve non accurrentibus *advenére Magi ab Oriente, & adoraverunt eum, ac muneribus oblatis honoraverunt.* *Herodes* verò licet, ut *Idumæus*, à prima origine *Judæorum* frater, & à *Judaismo* ante seculum ab ejus gente susceptо, veri Dei cultorum tabulis inscriptus esse volebat: tamen cum resciscceret ex *Magorum* illorum percontationibus, esse *natum illum Regem, in qvem ab ejus domo regnum Judæ transferendum esset*, insidias ejus vitæ struxit, & cum in ipsum illum infantu-

lum

lum incidere non posset, bimulos infantes omnes in illo Judææ tractu occidi jussit: Scilicet monitus ab Angelo *Joseph* secessit in *Ægyptum* cum infante & matre ejus, nec rediit, donec *Herodes* dominationem cum vita desereret: idque factum est biennio illo, quod vulgatæ *Christi* æræ deest, nondum finito. Quid posteà Dominus egerit, ad XXX. ætatis annum, ignoratur, nisi quod *anno* XII. quo tempore LXXII. *Septimanæ Danielis* ex *Septuaginta* illis effluxerunt, *disputatione cum doctoribus in templo initâ*, sapientiæ suæ divinæ specimen edidit. *Anno* verò XXX. completo, qui erat *Tiberii* XV. cœpit *Johannes* Baptismo instituto V. T. abrogare, & præsentiam Domini omnibus annunciare. Hunc secutus est Salvator, & ministerio suo in *quintum annum* peracto, *passus, mortuus & sepultus est, ac tertia die resurrexit à mortuis, inde quadragesima die ascendit supra omnes cœlos, missis in universum mundum Apostolis, in quos ideò proximo die, visibili specie, Spiritum Sanctum effudit.*

fudit. Secundum hæc gesta sunt deinceps ordine intra xxv. annos ad qvartam usqve *Neronis* annum ea, qvæ in *Actis Apostolicis* describuntur. *Nero* verò *Anno Domini* LXIV. incendii *Romæ* petulanter excitati infamiam in Christianos innocentes transtulit, & excitavit primam persecutionem in illis, qvas *Draco ille antiqvus* decem in primitivam Ecclesiam concitavit. Horribilis verò fuit illa, cum, tanqvam incendiariis, non modo inter moriendum ludibria adderentur, sed etiam in usum nocturni luminis tanqvam incendiarii ustularentur. Et certè tum exordium suum habuit primà *Mulieris Apocalypticæ in solitudinem fuga, qvam comitatum est illud decem persecutionibus nobilitatum prælium Draconis in cœlo: & qvæ tempus, tempora, & dimidium temporis*, sive CCLV. annos durare debuit, & revera duravit.

CAPUT

CAPUT II.

De statu Ecclesiæ sub tribus ex *Flavia* Imperatoribus.

A Prima persecutione ad *Domitianum* usqve creverat multum Ecclesia, & fuit *Hierosolymis* post *Jacobum* Episcopus *Simeon* uterinus ejus frater & filius *Cleophæ*: *Antiochiæ* agebat *Evodius*, Alexandriæ *Anianus Marci Evangelistæ* successor, *Epheſi Johannes* Evangelista: in *Creta Titus*, *Romæ Cletus*. Viguitqve hic ita Evangelium, ut à *Domitiani* qvoqve cognatis, *Flavio* nempè, *Clemente*, & *Flavia Domitilla* ejus uxore, reciperetur. *Domitianus* verò secundæ persecutioni subjecit *Ecclesiam*, qvæ anno Christi 91. non tantùm *Romæ*, sed in omnibus imperii locis exercita, *Cletum* inter cæteros sustulit. Hoc verò adhuc vivente missus est *Romam* ex *Asia* vinctus *Johannes Evangelista* &, ut *Tertullianus* refert, in oleum igneum demersus cum illæsus evasisset, relegatus est in insulam *Patmon*: ubi post qvinqvennium ferè exactum, scripsit

pſit ſub finem imperii & vitæ *Domitiani* Apocalypſin: *in qva primò in Epiſtolis ad VII. Aſiaticas Eccleſias ſcriptis typum cum illius ævi, tum omnium aliàs Eccleſiarum exhibuit: deinde revelavit ea, quæ poſt illa tempora in Eccleſia ſecutura erant, partim per ſigilla, partim per tubas, partim per phialas, & ubivis ſeptenarium uſurpat numerum.* Hinc videtur tres poſt ſe ſecuturæ Eccleſiæ periodos conſtituere, & *Danielis* exemplo, *ſingulas ſeptem annorum ſeptuagenis* definire. Et certè non ineptè prophetiæ ſingulorum, ſive *ſigillorum*, ſive *tubarum*, ſive *phialarum*, ſingulorum LXX. annorum Hiſtoria ſucceſſivo ordine numerata reſpondet.

CAPUT III.

De ſtatu Eccleſiæ ſub primo ſigillo.

NErva imperante cœpit ea *Eccleſiæ periodus*, qvæ non modo ſua habuit fata, ſed etiam ſolidum pignus ſeqventium periodorum ſecum tulit, Ideo ejus articuli vocantur *ſigilla*. Fuit autem fatum

tum illius Ecclesiæ tale, qvale in fuga, in solitudine, in prælio, non nisi sangvine declinando, esse potest. Primi tamen LXX. anni seqventibus tribus lætiores fluxerunt. Scilicet *equus albus tum prodiit, & sessor in eo cum arcu & corona, qvi prodiit vincens & ut vinceret.* Triumphavit itaqve tum læta veritas: sed prius constantiâ, qvàm oratione piorum Imperatores mitigati sunt. Et *constantiâ* qvidem contra *Trajanum* & *Hadrianum* opus erat, *Trajanus* superstitiosus fuit, & cum *Jovi* fictitio acceptum referret, qvòd primus ex peregrinis ad *Imperatoriam dignitatem* pervenisset, ut gratiam ei referret, in imperii ingressu retulit ad *Senatum* de prisca religione conservanda, ac prohibuit edicto, ne essent sodalitates. Etsi verò istoc mandato non injuncta fuit persecutio Christianorum; tamen qvoties conventum habuerunt, varia pericula incurrerunt. Itaqve tertiam persecutionem tum sustinuisse creduntur. Neqve obstat *Plinii* alterius, *Plinii* ex sorore nepotis, in eos qvasi commi-

miseratio, qvam cum pro-consul in *Bithyniam* mitteretur, & magnam multitudinē Christianorum opera inprimis *Johannis Evangelistæ*, qvi nuper *Epheſi*, rogatu Episcoporum *Asiæ*, Evangelium contra *Ebionem* & *Cerinthum* scripserat, ac C. annos natus terris valedixerat, collectam videret, ostendit. Scripsit enim ad *Trajanum*, se ex resipiscentibus Christianis eam tantum errorum summam cognoscere, *qvod soleant stato die ante lucem convenire, carmenqve Christo qvasi Deo, secum invicem dicere, & qvod se Sacramento non in scelus aliqvod obstringant, sed ne furta & alia flagitia committant, qvodqve iis peractis discedant, & rursum coeant ad capiendum cibum, eumqve promiscuum & innoxium*, & propterea consuluit eum, an non satius foret minis & similibus modis ad desertionem adigere, qvàm porrò persequi. Sed *Trajanus* nihil amplius rescripsit, qvam non esse eos inqvirendos: Si tamen deferantur & arguantur, ita puniendos, ut, qvi negaverit se Christianum esse, idqve re

ipsa

ipsa manifestum fecerit, qvamvis in præteritum suspectus fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Etsi igitur tum publicus persecutionis æstus nonnihil subsedit: tamen magna nocendi privatim occasio piorum hostibus est relicta. Corripuit autem ista persecutio præcipuè *Orientẽ* & *Simonem* ultimum *Apostolorum* annos cxx. natum, multiplici cruciatu, *Ignatium* verò *Antiochenum Episcopum bestiis* objecit. Prodiit ergò *sessor ille equi albi*, vincens qvidem, sed nondum ad victoriam, cujus gratiâ prodiit, pervenit. Certè *Adrianus* tertiæ persecutioni adjecit qvartam, donec in sua illa peregrinatione in *Græciam* deferretur, ibiqve *Athenis* diu moratus, à *Qvadrato* Episcopo, & *Aristide* Philosopho, libros pro religione Christiana scriptos acciperet. Tùm enim, cùm, sapientiâ divinâ ita disponente, eodem tempore *Serenius Granius* legatus iniqvitatem Christianæ persecutionis contestaretur, impetraverunt, ut non clamore vulgi ut anteà, condemnarentur, sed criminum objecto-

rum priùs convincerentur. Sed ista quidem victoria parva fuit præ hac, quæ secuta est sub *Antonino Pio*. Huic enim, *Adriano* adhuc ægrotante, *Justinus Martyr apologiam* pro Christiana religione obtulit, & licet tùm nihil egerit, tamen, cum paulò pòst eam duplicaret, *Deo* cooperante, effecit ut publicis edictis sanciretur, ne qvis Christianis eo nomine, qvòd Christiani essent, molestiam exhiberet; si qvis negocium facessere pergeret, delatum liberum & absolutum iri ab accusatione, etiamsi talem deprehensum; delatorem verò pœnæ subjiciendum esse. Tunc ergò demum redimitâ coronâ triumphavit veritas, & arcu prostrati jacebant persecutores. Interim crescebant cum Ecclesia hæreses. Nam *Papias Chiliastarum* sectam invenit, *Marcion* duo principia, pariter æterna unum boni, alterum mali, obtrusit. *Valentinus* deniqve *Gnosticorum* author, sua semina *Romæ* clanculum disseminavit.

CA-

CAPUT IV.

De statu Ecclesiæ sub secundo sigillo.

SEcundum *sigillum* sub duobus *Veris* aperiri cœpit, & prodiit apertò *sessor equi rufi, sustulitque pacem è terra, ac alii alios mactabant.* Apparet id non tantùm ex conjuratione in *Commodum Severi, Nigri*, atque *Albini* bellis, *Caracallæ* in fratrem & ejus fautores crudelitate, *Maximini Thracis* imperio, *Valeriani* fato; sed & Ecclesiæ conditione. *Marcus* enim qvintam persecutionem à *Philosophis*, qvos impensè amabat, instituit; in qva *Justinus & Polycarpus* periere, qvamqve nec *Melitonis Sardium*, nec *Apollinaris Hierapolis* Episcopi apologia sistere potuit. Sextæ *Plautianus*, absente *Severo*, nil Apologetico *Tertulliani & Saturnini* Proconsulis cœcitate territus, initium fecit: post edictum verò *Severi* ita in *Aphrica* sævitum est, ut fideles ad Dei cultum non-

non nisi noctu tutò convenire possent. Septimam *Maximinus* excitavit. In octava *Decius Trajani* virtutum æmulator ita sæviit, ut multi deficerent, nec pauci eremum peterent, *Novatianus* deniqve erroris sui ansam arriperet, & apostasiæ sistendæ lapsis omnem remissionis spem denegaret. Nonæ *Valerianus* author erat, in eaqve *Laurentius* & *Cyprianus* Coronam martyrii accepêre. Semper tamen recreata est aliqvo modo inter has turbas Ecclesia. Nam *Marci* sævitiam *Marcomannicum bellum* stitit, & sub *Commodo* non tantùm *Romæ Britanni* se fidelibus aggregaverant, *Pantenusque Indis* Evangelium prædicavit, sed etiam *Apollonius* cum rationes suæ fidei coram *senatu* reddere discuperet, ad finem auditus est. *Alexander* autem non tantùm *Christum* noverat, sed etiam in lario inter *Apollinem*, *Orpheum* & *Abrahamum* mirâ superstitione colebat. Qvin sub *Gallieno* crudelissimo alia pax, edicto emisso, data est Ecclesiis.

CA-

CAPUT V.

De statu Ecclesiæ sub tertio & qvarto sigillo.

TErtio *sigillo aperto* non modò ex Principum lanienis, sed etiam ex fame, qvæ tot bella & tam atrocem pestem non potuit non seqvi confirmatæ sunt de veritate eorum, qvæ postremis seculis expectanda erant Ecclesiæ. *Cyprianus* utiqve non tantùm hanc inde certitudinem hausit, sed etiam *Demetriano* occasionem Christianos calumniandi inde sumenti respondit, contemptum & obstinationem Ethnicorum hujus mali causam esse. Aliàs notandum diligenter, qvòd, qvamvis tria mala, bellum, pestis, fames, fideles juxta cum cæteris afflixerint, multò ampliùs tamen in infideles grassata sint, ut testatur *Dionysius Alexandrinus*, apud *Euseb.* l. 7. c. 22. Videturqve hîc illud innui, qvod in Apocalypsi sessori *Eqvi nigri habenti stateram in manu sua, dicitur, triticum qvidem & hordeum, sed non oleum & vinum lædendum esse.* Tempore

istius sigilli apparuit *Constantino*, in expeditione contra *Maxentium* de mole, & eventu belli anxio, circiter meridiem in cœlo, lucidissimæ crucis *Symbolum*, qvam multi characterem nominis Christi, qvalis in multis antiqvis numismatis *Constantini*, & aliorum Christianorum Imperatorum cernitur, fuisse putant cum inscriptione, Ἐν τούτῳ νίκα, in hoc vince: Cujus sententiam nocturnum visum per qvietem pleniùs aperuit. Non tantùm igitur Symbolum illud in vexillis militaribus circumferendo, sed & religionem Christianam ab illo tempore discendo *mulierem illam, qvam Nero in solitudinem compulerat, in lucem aspectumq; communem revocavit.* Prius verò, qvàm læta hæc reductio solenni festivitate perageretur, apertum est *qvartum sigillum*, & vidit Ecclesia mortem, *Eqvo pallido insidentem trucidare gladio, & fame & morte, & per terrestres feras qvadrantem terræ.* Nam in Oriente, cum *Maximinus* persecutionem exemplo *Diocletiani* truculentam urgeret, ac

veram

veram incolumitatem, qvæ tum contigerat, *Dœastris* suis adscriberet, omnia illa mala, ac inprimis canes aut feræ miseros *Orientales* vehementer vexabant, ut refert *Euseb.* l. 9. *Histor. Eccles.* cap. 8. Huc pertinet tùm *Constantinus*, qvi *Alexandriæ* crudeliter per exercitum sæviit; *Syrmii* voci ὁμοίῳ pro ὁμοουσίῳ subscribere nolentes, tormentis coegit, tùm *Georgius*, qvi summam crudelitatem exercuit, tùm *Macedonius*, qvi ob multiplicem cædem famosus est. *Solennem* verò *mulieris Apocalypticæ* per *Constantinum factam revocationem* qvod attinet, peracta illa post triumphatum *Licinium*. Tum enim præ foribus regiæ suæ tabulam in sublimi collocandam curavit, in qva depictus *Draco* transfossus telo jacuit, sub suis suorumqve pedibus. Tum igitur *projectus est ille Draco Magnus, qvi hactenus* CCXLV. *annos in cœlo præliatus est, è cœlo in terram.* Ad hoc tempus, *Donati* factiones, *Arrii* Technæ, *Nicænum Concilium*, *Constantis*, sede Imperatoria *Roma Constantinopolin* translatâ, remotio,

Juliani Apostatæ persecutiones referri debent.

CAPUT VI.

De statu Ecclesiæ sub qvinto sigillo.

SUb *tertia & qvarta imperii divisione* apertum est *qvintum sigillum:* & nacta est Ecclesia inde à *Valentiniani* morte triplicem prophetiæ sibi commissæ approbationem. Prima fuit ex præterito tempore, cujus memoriam cum repeteret, vidit ad satietatem & nauseam usqve sævitum esse ab Ethnicis Imperatoribus. Ideò enim *Julianus* noluit amplius gladio in fideles sævire, sed stylum & varias technas ad abolendum Evangelium adhibuit. Ideò etiam *Draco ille Antiqvus* non jam amplius cum Christi nomine, præliari sustinuit, sed satis habuit Ecclesiæ consensum perseqvi. *Valentinianus* qvidem inter religionum diversitates medius stetit: sed malitiâ *Valentis* tantum, sumsere incrementum hæreses, qvantum faci-

facilitate *Constantii*, *Arianam* qvippe amplexus, excepto *Athanasio* & *Epiphanio*, Orthodoxos Episcopos pepulit in exilium omnes: & *Athanasio* defuncto substituit *Lutium*, hominem *Nerone* & *Domitiano* atrociorem. Adhæc *Gothis* minoribus, *Romanum* imperium paulò pòst eversuris, Episcopum postulantibus, non Orthodoxum, *Vulfilam Arianum* misit. Itaqve ex præsenti tum tempore surgebat altera Ecclesiæ approbatio. Si qvo enim tempore, hoc maximè, videbatur æqvum, ut non jam suspiriis, qvi hactenus mos fuit, sed *clamore ad judicium & vindictam sanctus & verax Despota excitaretur*. Et certè non defuit iste clamor, ut ex scriptis ejus seculi, & vel ex *Basilii Magni Epistolis* apparet. Tandem & futurum tempus fuit piis instar *Sigilli*. Nam istâ qvidem divisione adhuc durante, non est secuta ultio, sed seqvens divisio plenis eam, ut ita dicam, velis invexit. Reqviescebant sub hac divisione *animæ illæ ultrices, & stolas albas nactæ*, suam innocentiam, cùm per va-

varia Doctorum, qvi tum erant florentissimi, scripta, tùm per imperatorum favorem & edicta mundo testatam fecerunt. *Gratianus* utiqve Episcopos à *Valente* in exilium missos revocavit, & damna eis pensavit. *Valentinianus* verò etsi à matre instigatus *Valentis exemplo Arianis* favit, & ideò *Ambrosium* exagitavit: tamen à *Theodosio* restitutus, mutavit, *Symmachumq;*, pro Ethnicismi restauratione intercedentem, ex voto & svasu *Ambrosii* & *Prudentii* frustra esse jussit. *Theodosius* intereà non modò *Catholicos* diligenter promovere studuit, sed & divortium, qvod *Pneumatomachi* in Ecclesia fecerant, tollere, *Concilio Oecumenico Constantinopolin* indicto, voluit.

CAPUT VII.

De statu Ecclesiæ sub sexto sigillo.

SExtum *sigillum* inter irruptiones *Gothorum* & *Hunnorum* apertum est. Tum enim fuit *motus terræ, acror solis & reliqvæ crea-*

creaturæ perturbatio, qvæ incolas terræ in spelunças & petras montium compellere poterat. In *Italia Veneti*, motu imminentis *Attilæ*, locum in vicino mari occupaverunt. Reliqvi *Itali* de patria deserenda consilia agitabant. In *Gallia* perfugium qvæsitum est apud *Francos*. *Rex* enim *Merovæus* illorum in *Gallis* sedem stabilivit, & nomen primæ *Francicorum* in *Gallia* regum familiæ, qvæ *Merovingorum* esse dicitur, dedit. *Britanni* vero *à Romanis* deserti, *Anglos*, *Saxoniæ* populum, contra *Scotos* & *Pictos* accersiverunt. Alii populi *alios montes & petras rogabant, ut super eos caderent ac eos absconderent à conspectu ejus, qvi tum vindictam exercebat, Domini.* Atqve hæc perturbatio non solùm prophanos homines, sed etiam Ecclesiæ antistites perculit. Itaqve *Prosper* ejus ævi *Synchronus* in illis, qvæ primo *Marciani* anno subnotavit, conqveritur, qvòd valdè miserabilis Reipubl. status tum apparuerit, & non modò ne una qvidem absqve barbaro cultore fuerit provincia, sed etiam nefanda

Arianorum hæresis, qvæ se nationibus miscuit. *Catholicæ* nomen fidei, toto orbe diffusa, præsumserit. In *Orientem* tamen descendit *Angelus ille, qvi veros* DEI *cultores obsignavit.* Pax itaqve civilis ibi tanta fuit, ut Ecclesiastici homines non possent ejus commoda æqvâ mente tolerare. Unde *Chrysostomi* & *Epiphanii* discordiæ, illius propter *Eudoxiam* exilium, *Orientalis* Ecclesiæ cum *Occidentali* disidia, *Pelagii* turbæ, *Nestorii* de *Communicatione idomatum* errores, ejusdem tàm in *Concilio Ephesino*, qvàm Congregatione *Chalcedonensi* condemnatio, *Eutychis* de *naturæ unitate* deliria, ejusdem in *Ephesina* II. λησεικὴ dicta, absolutio, & in Concilio *Byzantino* condemnatio. Interim in hoc Concilio positum videtur fundamentum infelicis illius dimicationis, qvæ tandem in Ecclesiasticam tyrannidem, & ut Apocalypsis loquitur, in *ortum bestiæ septicipitis & decemcornis ex mari* erupit. Certè *Leo Pontifex Romanus, cum Flaviano, Constantinopolitano Episcopo*, secundas à se,

ibidem

ibidem decretas fuisse videret, aliis *Concilii* actis probatis, hoc tamen caput ultimum, qvod ei erat instar panni, purpuræ assuti, improbavit.

CAPUT VIII.

De statu Ecclesiæ sub sigillo septimo.

Justino imperium ineunte apertum est *Septimum sigillum*, & *silentium in cœlo factum per semihorium*. Tum enim tantâ felicitate fruebatur Ecclesia, qvanta vix sub *Constantini* fuit imperio. Certè *Eutychiana* hæresis, Synodo *Constantinopoli* adversus eam celebrata & *Severo*, illius promotore, *Antiochiâ* fugiente, imminui cœpit: *Arianis* tàm angusti sunt præscripti cancelli, ut *Theodoricum Italiæ Regem* contra *Anastasium* & subditos illi *Catholicos* incitarent. *Occidentalis* Ecclesia rediit cum *Orientali* in communionem. In *Persia Manichæi* funditùs deleti sunt: & vicinus *Colchorum Rex Iathus* sacra Christiana accepit. In *Aphrica*

Hul-

Huldericus post *Thrasymundi* mortem omnes Orthodoxos exules revocavit. In *Gallia Clodovæus*, cum in bello *Alemannico* summis premeretur angustiis, ad Christum confugit, & tandem, precibus *Clotildis Burgundæ* expugnatus, baptismi accipiendi consilium expediit. *Justino* extincto impleta sunt sub *Justiniano*, *Tiberio* & primis *Mauritii* annis illa, qvæ de *thuribulo*, *altari*, *fumo & terræ motu* adjiciuntur. *Justinianus* enim instar summi sacerdotis Ecclesiæ, occupatâ *Africâ*, devictis in *Italia Gothis*, pœnas *à* vetere & persecutrice *Roma*, tàm innocentis sangvinis effusi, qvàm veritatis cœlestis spretæ, sumsit, & sic piorum precibus & desiderio, qvi *Gothorum & Vandalorum* jugo eximi petierunt, satisfecit. At qvia ideo damnationem trium capitulorum (in Concilio *Constantinopolitano*, qvod inter *Oecumenica* est qvintum, actum est, cùm de *Origenis* erroribus à Monachis ex Ægypto in *Palæstinam* effusis, renovatis, tùm de *Theodoro Mopsvesteno*, & de duodecim *Cyrilli* capitulis se opposuerat, *& Iba*, qvi

scri-

scripserat epistolam ad *Marin Persam* hæreticum, pro *Nestorio*, & ideò propositio illius, trium capitulorum nomine, circumferebatur tùm per edicta, tùm per *Universale Concilium*, toti Ecclesiæ obtrudere voluit: magno fervore *Constantinopolitanum* Patriarcham propugnavit; *à Virgilio* P. R. ut primo loco sibi relicto, secundum *Constantinopolitano*, inter sacerdotes ab ejus prædecessoribus præfractè negatũ, conderet, impetravit, ad *Aphthartodocitas* descivit: ut illa re ignem de altari deturbasse, sic hoc secundi loci stabiliendi conatu tonitrua & fulgura immisisse videtur. Certè *Johannes Menæ* successor, qvi *Jejunator à* sobriâ vitâ est dictus, non contentus secundo loco, primum, imò *Oecumenicum*, primatum affectavit, nec vel *à Pelagio* II. vel *Gregorio M.* ejus successore, *Antichristi* præcursorem hac nota insigniente, ab ea insania abduci potuit.

CAPUT

CAPUT IX.

De statu Ecclesiæ sub prima tuba.

SEcunda Ecclesiæ periodus initium habuit sub *Mauritio*, extenditqve se usqve ad *Henrici IV.* tempora: & licet singuli ejus articuli tanqvam classico indicentur, tamen minores plagas priori sui parte complectitur potiùs, qvàm posteriore. Ac sub *Mauritio* qvidem ad *clangorem primi Angeli & præcedentium tonitruum & fulgurum strepitum, sequi grando & ignis mistus sanguini cœpit.* Nam *Mauritius*, qvi impediit, qvo minus *senioris Romæ* Episcopus Episcopum *novæ Romæ* deprimeret, cruenter satis interfectus est à *Phoca.* Et *Phocas*, tantum abest, ut diras *Romani Episcopi* incurrerit, ut mutuus beneficiis inter se invicem certaverint. Unde & *Cyriacus, qvi Constantinopoli* post *Johannem* sedit, titulumqve *Oecumenici à Mauritio* concessum reti-

nuit.

fuit in odio apud *Phocam* fuit, & *Bonifacius* titulum illum à *Phoca* nullo negotio impetravit. Cæterum qvia, *Heraclio* à militibus imparato, *Persæ* in *Armenia*, *Cappadocia*, *Syria*, *Ægypto* & *Africa duodecennium* grassabantur, *Machometusque Mechâ* occupatâ novum regnum fundavit, & *Saraceni* successorum illius auspicio *Syriam* totam & *Palæstinam* sibi subjecerunt; videtur *tertia pars terræ*, *Asia* nimirum, *tum exusta fuisse, & non solum tertia pars arborum, sed etiam omne gramen viride, adeoque* pabulum & patrocinium Ecclesiæ in illis locis exustum esse.

CAPUT X.

De statu Ecclesiæ sub secunda & tertia tuba.

SEcundâ tubâ sub *Heraclii* familia clangente, *cecidit qvasi mons ardens in mare, & fecit tertiam ejus partem sangvinem*, non tam sub *Constante*, cum ex ingenti illa in porta *Phœnice* clade, Christianorum sangvine ruberet, qvàm sub

sub *Constantino*, cum Concilium, qvod inter *Oecumenica* sextum, *Constantinopoli* in penetrali, qvod *Trullus* dicebatur, celebraret. Qvia enim tum *Cæsar*, immoderato in sedem *Romanam* ardore, correptus non modò pecuniam pro confirmatione ab illa mitti solitam remisit, sed etiam in confirmatione *Benedicti II.* jus confirmationis à *Justiniano* qvondam ad Imperatoriam Majestatem relatum, clero *Romano* indulsit; mare status Ecclesiastici in degenerem & sangvineam naturam est mutatum, ac periêre non *pauciores in eo naves & nautæ*, ac in obsidione urbis & expeditione *Saracenorum* secunda, qvæ fuit in initio imperii *Leonis*. Gratia tamen DEO, qvòd tertia tantùm eorum pars ardore illo abusa est. *Tertia tuba clanxit* eo tempore, qvo *Leo* controversiam de imaginibus *à Philippico* inchoatam repetivit. Qvanquam enim illi earum demolitione nihil aliud nisi idololatriam destruere qværebant: tamen, ut solet, excesit medicina modum.

Sci-

Scilicet non tantùm acriùs in opponentes ſe animadverſum *à Leone* eſt ; ſed etiam poſt prohibitum *à Conſtantino* in Concilio *Conſtantinopolitano* VII. omnem imaginum uſum atrox executio in repugnantes, & præcipuè in *Monachos*, qvorum cælibatus qvoqve periclitatus eſt, ſecuta fuit. Poſt verò in *Synodo Nicæna II.* rebus ita inſtructis, ut nemo diſputare, nedum turbare auderet, intra xx. dies rebellatum eſt & pronunciatum, ſacras imagines *non ad uſum tantùm hiſtoricum alicubi haberi poſſe, ſed ex mandato divino in templis neceſſarias, imò venerandas, ſalutandas, oſculandas, colendas, adorandas, ſuffitu, cereis & ſimilibus honorandas eſſe. Verè igitur ſtella illa è cœlo in flumina delapſa arſit velut fax, & nomen abſinthii* habuit. Interim qvantus amator in doctrinam publicam, & ejus antiſtites ex altera qvoqve parte ſit ortus, qvam *mortem ex talibus aqvis homines biberent*, apparet ex ſcriptis *Johannis Chryſorroæ Damaſceni*,

& ex

& ex subdivisione *imperii occidentalis* nova aut certè evidentiore.

CAPUT XI.

De statu Ecclesiæ sub qvarta & qvinta tuba.

SEptimo post Synodum *Niceæ* ab *Irene* convocatam anno, convocavit aliam Synodum *Carolus* nondum *Imperator Francofurtum ad Mœnum*, ubi ccc. ferè Episcopi, præsentibus etiam *Adriani* legatis, mediam viam in *iconomachia* invenerunt. Nam & Synodum *Constantini*, qvatenus abolitionem imaginum decrevit, & Synodum *Irenes* ex adverso adorationem earum statuentem damnaverunt, suo qvodam honore imaginibus relicto. Tum igitur *clanxit qvartus Angelus, & percussa ac obscurata sunt tertiâ sui parte luminaria in cœlo* Ecclesiastico, tertiaqve pars tam diei qvam noctis fuit sine luce. Elapsis autem sub *Ludovico II.* LXX. ab hoc concilio annis, cœpit posterior semissis periodi secundæ Ecclesiasticæ. Neqve enim tam Chri-

stia-

stiani persecutiones Orthodoxi hæreses in posterum sibi metuendas habuerunt, qvam *incolis terræ varii cruciatus* erant formidandi. Seculari qvippe statui se eximere illi, qvi stellarum in cœlo munere fungi debebant, ab eo tempore inceperunt, eumqve deinceps sibi subjecerunt. *Platina* sanè author est, *Nicolaum* tentâsse illud institutum, qvod paulò post *Hadrianus III.* magno animo ursit, cùm initio sui *Pontificatus* statim ad *S. P. Q. R.* referret, ne in creando *Pontifice* Imperatoris authoritas expectaretur. *Hadrianus* qvoqve II. ex factione *Photii Patriarchæ* arreptâ occasione *Concilium* tale celebravit, qvod non *Photii* solùm *Laicismum*, sed omnium *Laicorum* etiam potentissimorum authoritatem deprimeret. *Johannes verò IX.* Imperatores eligere sibi arrogavit. In *Formoso* deniq; qvi post *Stephanum V. Adriano III.* successit, ait *Platina*, virtutem & integritatem *Pontificum*, æqve ac *Imperatorum Caroli* posterorum defecisse. Verè ergo tunc *putens abyssi est apertus à stella è cœlo*

è cœlo in terram cadente, & prodiit inde fumus, qui perperit locustas, quæ læderent homines signum DEI in frontibus suis non habentes. Qvis enim tam immune genus vitæ non apprehenderet.

CAPUT XII.

De statu Ecclesiæ sub sexta & septima tuba.

SEcundo *Theophylacti Patriarchæ Constantinopolitani* anno incidit initium *sexti Apocalyptici clangoris*, ad qvem *solutis qvatuor Angelis ad Euphratem vinctis*, *secuti sunt eqvites duum generum, alii nempè, qvorum numerus tantùm auditus est, alii, ad qvorum contemplationem peculiari qvadam mentis intentione ac visione opus fuit.* Et certè cum *Theophylactus* ille, utpote filii *Imperatoris Romani* filius, imperatoris spiritu retento, non modò liberius vixit, sed & eqvos bis mille aluit qvotidie, ita ut eo tempore non modò *Oriens à Saracenicis, Russicis, Hungaricis & Sclavonicis*, Eqvitibus numerosâ

rosâ multitudine vexatus sit: sed etiam ministri ejus domini, qvi asino *Hierosolymam* invectus est cum summa gloria, eqvis invehi ac ferocire inceperint. Aliàs & in *Occidente* istum luxum fuisse, historia *Ottonis III.* præcipuè testatur. Sub initium imperii *Henrici* Sancti *clanxit VII. ex Apocalypsi Angelus, & in cœlo qvidem lætitia fuit*, qvod *duo Væ præterierunt & qvod tertia periodus jam immineret, in qva tandem ira Dei in hostibus Ecclesiæ debellandis, bonorumq; & malorum retributione manifestanda* esset: sed *atrium templi*, ad dimidiũ illius periodi decursum usqve, *occupatum est à gentibus & urbs sancta est ab iisdem calcata.* Hinc *duo illi testes*, qvi partim Ecclesiæ puritatem partim ordini Politico suam majestatem sincerè asserere conati sunt; in *templo interiori eoqve mensurati latuerunt*, & qvamvis *instar olearum & candelabrorum* essent; qvamvis item *magna potestate præditi, impunè non læderentur*: tamen *cæsi & inhumati jacentes in plateis Sodomæ & Ægypti, exhilaraverunt hostes suâ*

morte

morte. Nimirum *mysterium, quod* Deus *Prophetis suis revelavit, consummatum est in diebus Angeli septimi,* & imperium, qvod *ex mari doctrinæ tantum huc usqve emersit, in posterum ex terra potentiæ prodibit* ense potens gemino. Inter memoratos testes voluit *Berengarius* esse; sed *Nicolaus II.* eum palinodiam canere coëgit.

CAPUT XIII.

De statu Ecclesiæ sub prima & secunda phiala.

CIrca *Henrici IV.* mortem prædicavit *Archiepiscopus Florentinus,* natum esse *Antichristum. Baronius* qvoqve agnoscit, tum celebrem fuisse famam, fore, ut brevi *Antichristus* reveletur. Imò scriptores ejus seculi jam sub *Hildebrando* eum, si non verbis, at reapse venisse dicunt. Ante eum enim neminem ajunt hoc juris in Cæsarem aut subditos ejus sibi arrogâsse, qvod ille usurpavit. In hoc itaqve tempus incidit tertiæ illius periodi initium, sub cujus decursu

sum *septem phialæ excandescentiæ* DEI *in terram effundi debuerunt.* Certè eam *Henricus IV.* de qvo abundè re docebit historia, sensit. Imprimis verò illustris est in hoc seculo effusio *primæ phialæ in terram*, ex qva natum est *ulcus cacoëthes ac noxium adversus homines, qvi habebant characterem bestiæ, & eos, qvi adorabant imaginem ejus.* Id enim non tantùm *Henricus* pater, *Cunradus & Henricus* filii ostendere; sed & *Rudolphus*, *Principes Imperii*, *Saxones* & alii seqventibus temporibus. Neqve enim plaga hæc tantùm intra *Hildebrandum* se continuit; sed ut alias cupiditates frenari neqveunt, sic & hic ægrè sisti aut circumscribi potuerunt. *Svevorum* ævo effusa est *secunda phiala & Mare* status Ecclesiastici seu doctrinæ *versum est in tabum.* Non ergò error unus aliqvis leviter à natura puri maris degener, sed crassa qvæpiam errorum farrago in illud seculum incidere debuit. Et haud scio, an non illa confluges variorum mysteriorum, qvæ tandem anno 1215. ab Innocentio III. stabilita

est, à Spiritu S. respiciatur. Ab eodem certè tempore cœpit *Philosophia secularis* inutili sua curiositate *sacram Theologiam* fœdare; & postqvam *Joachimus Abbas Florentinus*, ob impugnatas *Petri Lombardi* sententias damnatus est, nemo hiscere contra est ausus. Lacum *Transsubstantiationis* qvoqve tam *asphaltiten* esse posse, ut etiam *animæ vivæ ex eo pitissantes inficiantur*, vel moderna secula testantur.

CAPUT XIV.

De statu Ecclesiæ sub tertia & qvarta phiala.

EX Scholasticis primæ ætatis fuit qvidam *Cyrillus*, *Monachus Carmelita*, qvi ex veteri *Origenis* errore in *Epistolam ad Romanos* novum excudit *Evangelium*: qvod non tantùm vehementer est approbatum, utpote omnia dogmata Scholastica, & superstitiosos R. E. ritus, ex Apocalypsi deducens: & *Evangelium æternum* est nominatum. Verum hunc errorem non tantùm *Johannes Valdo* civis

vis Lugdunensis, qvi Evangelium *JEsu Christi* in *Gallicum* sermonem sibi fideliter verti curavit, confutavit: sed & *Albingenses*; qvorum patronus erat *Raimundus*, Comes *Tholosanus*, & *Petrus Rex Arragoniæ*, se ei adjunxerunt. Sed qvia *tres illi dies cum dimidio resuscitationi duorum testium destinati* nondum præterierunt; & decretum *Gratiani* nuper promulgatum, decretales à *Gregorio IV.* congestæ; sententiæ *Lombardi*, stigmata *Francisci*, prædicationes *Dominici* & tum magis valebant, & à *Cistertiensibus Monachis*, duce *Dominico*, ita sævitium, ut novus prædicatorum ordo exsurgeret. Verè ergò tum *phiala tertia effusa est in fontes aqvarum & flumina*: & qvia ætas illa sangvinem piorum effundere non exhorruit, visum est vero & justo judici *sangvineas aqvas illi* propinare. Tum etiam *Albertus M.* Dei verbo *Aristotelis* scripta comparavit, qvasi hæc demonstrationibus nitantur, illud verò probabili potius ratione teneatur. *Johanne Duns Scoto, Thomæ* impugnante dictamina, accessit

illa *plaga*, *quam homines senserunt, sed non resipuerunt.* Soli enim sacrosanctarum Scripturarum conjuncta tum est *canicula* sophismatum & traditionum humanarum, ita, ut populus Christianus, qvi hactenus Evangelica remissione peccatorum refocillatus, *calorem legis Mosaicæ* tolerare potuit, imposterum *æstuaret æstu magno*, qvem temporarium, sive in altero seculo esse sustinendum sibi persvaderi sinebant. Et hic demum æstus est propria *qvartæ phialæ*, his temporibus effusæ, *Plaga.* Hujus *enim causa non modò non dabant gloriam DEO, ac fontem exandescentiæ ejus non obstruebant homines, sed etiam æstu illo correpti, blasphemias & unà eam intendebant & multiplicabant.* Aliàs tempore *tertiæ phialæ*, non tantùm *Bonifacius VIII.* fraudem, ambitionem & arrogantiam suorum anteceſſorum auxit; sed & *Romani Pontificis sedes* translata est *Avenionem* in *Gallias à Clemente V.* mansitqve illic LXX. annos.

CAPUT

CAPUT XV.

De statu Ecclesiæ sub qvinta phiala.

ANteqvam *phiala qvinta effusa* est, nacti sunt temporibus *Ludovici* finem ter septuaginta & triginta qvinqve anni; sub qvorum decursu inde à Tyrannide *Hildebrandina*, *duo illi testes latere in interiore templo debebant.* Nunc enim *resurrexisse* eos per *Spiritum excitatos*, testantur acta *Ludovici*, ac mascula illa in conventu *Francofurtano* libertatis tàm *Ecclesiasticæ* qvàm *Politicæ* assertio. Testatur idem parrhesia plurimorum ejus seculi scriptorum, qvi contra receptas tum tàm in foro qvàm in choro opiniones, multa faciebant & scribebant. Ex hoc numero fuerunt *Marsilius Patavinus*, *Dantes Aligerius*, *Johannes* de *Polliaco*, *Martinus Patavinus*, *Johannes* de *Gandavo*, *Michael Cicerius*, *Gvilielmus Occam Scoti* discipulus & alii multi. Testatur idem progressus hujus regenerationis, qvi fuit partim à *VViclefo*, partim ab *Hussо*, ejus, sive discipulo

sive scriptorum lectore seqventibus temporibus. Prius enim in *pedes erecti & stantes, timorem illis, qvi eos spectaverunt, incutere debebant, qvàm in cœlum vocati cum terræ motum ederent, ut decima pars urbis caderet, & multis interfectis reliqvi terrerentur.* Carolo *IV.* imperante *effusa est phiala qvinta in thronum illius animalis, qvòd antea tum ex mari, tùm ex terra prodiit.* Neqve enim tantùm supra nominati testes veritatis vanitatem illius regni detexerunt, & detectam sub hoc Carolo magis ac magis patefecerunt: sed etiam per schisma sub ejus successoribus tam crassæ tenebræ ei sunt offusæ, ut cùm, an sit aliqvis hujusmodi thronus, tùm qvis ille sit, & qvis illius legitimus sessor per LXX. annos, dubitaretur. Et *dolebant qvidem illi*, qvi jam antiqvitùs ad se solos illam Cathedram attraxerunt, *ac mandebant linguas præ dolore* ut patet ex illorum conatibus ac decretis: sed tamen qvam nihil exinde resipiscentiæ hauserint, patet ex blasphemiis, qvibus innocentes homines in Concilio

non

non modò *Constantienſi*, ſed etiam *Baſilienſi* partim ſuſtulerunt. Scilicet difficile erat deſveſcere ab eo in Eccleſias & imperia imperio, cui tamdiu & tanto cum applauſu aſſveverant.

CAPUT XVI.

De ſtatu Eccleſiæ ſub phiala ſexta.

Sexta phiala effusa siccatus est Euphrates ſeu *Helleſpontus*, per qvem *Orientales* qvondam incidere amabant, qvando pomœria ditionis ſuæ extra ſuum *Orientem* extendere cogitabant, ita, ut qvi ab *Oriente* reges Eccleſiæ infenſi erant, ſicco pede in unam Imperii Chriſtiani arcem & doctrinarum mirabilem ſub multiplici confuſione ſedem tempore belli cum *Uladislao Rege* habiti, irrumpere poſſent. Eſt autem id eo certius, qvo major ſpes erat, cum à *Franciſco Cardinali Veneto*, *claſſis Pontificiæ præfecto*, ita eſſe obſeſſum, ut nullâ vi transmitti poſſet: & nonniſi conjecturis hodieqvè aſſeqvi licet, qva *Helleſponti* parte hoſtes transvecti ſint.

Sed *Franciscum* qvod concernit, videtur is fuisse *Spiritus ex ore Pseudoprophetæ progressus*, qvi cum *Juliano Sancti Angeli Cardinale, ex ore bestiæ prosilientes*, ac cum *Caramaniæ* principe, aut potius cum *Halibæo* Bassa ex Draconis rictu eructato, optimum illum *Josiam* & horribilem *Necaanam* in *hoc Megiddo* congregavit. Et hic qvidem deinceps *Euphratis* trajectum ad hæc usqve tempora promptum retinuit: illè verò aliis *Josiis* fuit exemplum, *beatos esse, qvi custodiendorum vestimentorum suorum causâ vigilant, ne nudi cum pudore ambulent*, & illis fidei Laxatoribus aures nimis faciles præbeant. Cæterum ne qvis putet istos tres solos fuisse ex illo deceptricium spirituum genere, deo *Spiritus Sanctus in qvodam qvasi excursu, esse hoc triplex seductorum genus asseverat & describit.* Ad hæc tam generatim locum, in qvem seductos deducunt, exprimit, ut is non modò *Har Megiddo* bonis siniſter, malis auspicatus, sed etiam *Hermageddon* bonis initio asper, tandem lætus, intelligi possit.

CA-

CAPUT XVII.

De statu Ecclesiæ sub septima phiala.

IMperante *Maximiliano* primo, *effusa est septima phiala in aërem.* Nam & *terra & mare*, qvæ ille æqvaliter ambit, ita ævo eo sunt affecta & disposita, *ut ad novum & nunqvam auditum terræ motum* fuerint idonea. *Asia & Africa* omnis est mota partim à *Turcis*, partim à *Lusitanis*, *Europa* partim *à bellis* partim *à disputationibus*, *Colloqviis & Conciliis.* Nec novus orbis qvietem, qvam inde ab ultima hominum memoria habuit, conservare potuit. Et certè si per *urbem illam magnam* licet *Europam* intelligere, disrupta est illa in tres partes; ac aliis cum *Oriente*, aliis cum *novo orbe* aliis *inter se* invicem fuit negotium. Immò intra *Europam* solam, & in negotio qvidem tam *Ecclesiasticæ*, qvam *Civilis reformationis* alii excessu, alii defectu laboraverunt, alii modum servaverunt. Est, inqvàm, modus servatus, & *venit magna illa Babylon*

bylon *in memoriam Dei, ut propinaret ei ex poculo indignationis iræ suæ.* Itaqve etsi *Ludovicus XII* nomen *Babylonis*, ut in nummo *Neapoli cuso* minabatur, non perdidit: tamen Deus per alia & longè contemptibiliora organa, *vinum indignationis suæ* ei bibendum tradidit. Mare deinceps *purum ab insulis, terra libera à montium eminentia* est reddita. Et si verò *grandine illa in homines cadente* his *Sacramentaria* anno 1524. inchoata, & anno seqvente *furor rusticus* & *Anabaptisticus*, ac secuta deinceps qvorundam *imaginosorum deliria* materiam blasphemandi & calumniandi præbuerunt hominibus, qvibus *grando illa vehementem incussit, plagam*: tamen ab illo tempore cœpit damnari *mulier illa Coccineca, & tres Angeli ruinam Babylonis indixerunt, ac videtur illud Halleluja esse canendum.*

FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78650837X/phys_0354
DFG

duxit, Evilmerodach
dem detinuere, Dariu
laxavit, Cyrus remisi
cohibuit, Darius No
xit, Alexander redu
Ptolomæus Lagidas
per Ægyptum & Syr
lomæus Philometor
phanes graviter opp
fortiter defendere,
vit, Schilo sub Aug
ro renovatam in sol
qva tamdiu delituit
tempora, & dimidi
centos qvadraginta
stantino M. solemni
cum ea interim & p
væ actum sit, Johan
pocalyptica prædixi
mò in Epistolis ad
cas scriptis, typum
omnium alias Eccle
inde partim per Sig
bas partim per Phi
cuturas Ecclesiæ peri

ea-
anto
rum
edu-
avit,
anor
Pto-
Epi-
cabæi
nana-
Ne-
it: in
mpus,
u du-
aCon-
Qvid
sNer-
ia A-
, pri-
ssiati-
, tum
: de-
r Tu-
se se-
illas-
qve

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
mm inch
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78650837X/phys_0355
DFG